

VITA S. SEVERINI

AUCTORE EUGIPPIO

SECUNDUM CODICEM ANTIQUISSIMUM, QUI ROMAE
ASSERVATUR IN TABULARIIS ARCHIBASILICAE
LATERANENSIS.

CRITICE EDIDIT

ANTONIUS KERSCHBAUMER,

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PP. IX. CUBICULARIUS
SECRETUS, ILLUSTR. AC REVER. DNO EPISCOPO DIOECESeos
S. HIPPOLYTI A CONSILIIS ECCLESIASTICIS, SS. THEOLO-
GIAE DOCTOR ET PROFESSOR IN SEMINARIO EPISCOPALI
AD S. HIPPOLYTUM IN AUSTRIA.

CUM TABULA SPECIMEN CODICIS LATERANENSIS
CONTINENTE.



SCARHUSIAE,

SUMPTIBUS LIBRARIAE HURTERIANAE.

MDCCCLXII.

41085-8

2083

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

IGNATIO FEIGERLE

EPISCOPO SAN-HIPPOLYTANO IN AUSTRIA INFERIORI,
SANCTITATIS SUAE PRAELATO DOMESTICO
ET SOLIO PONTIFICIO ASSISTENTI,
SS. THEOLOGIAE DOCTORI, INSIGNIS ORDINIS LEOPOLDI
CAES. AUSTRIACI COMMENDATORI, INCLYTI REGNI HUN-
GARIAE INDIGENAE, C. R. SCIENTIARUM UNIVERS. OLOMUC.
AC VINDOBON. EMERITO RECTORI MAGNIFICO,
ETC. ETC. ETC.

PRAESULI ET PATRI BENIGNISSIMO

IN TESSERAM GRATITUDINIS INFINITAE
ET FILIALIS SUBIECTIONIS

HASCE PAGINAS IN ALMA URBE ROMA
ELUCUBRATAS

D. D. D.

LIPSIÆ TYPIS B. G. TEUBNERI.

Legat D. Feigerle
11/9/85

PROOEMIUM.

Inter illos, qui fidei christianae fundamenta in regione iecerunt, quae olim *Norici Ripensis*, nunc Austriae provincia nuncupatur, facile princeps erat, Noricorum qui dicitur Apostolus, *S. Severinus*.

Tempore, quo Attila rex Hunnorum defunctus, illaque regio barbarorum incursionibus valde depressa erat, S. Severinus, vir sanctissimus, qui tam vitae disciplina singulari, quam spiritu prophetiae et miraculis inclaruit, patriam atque genus suum clarissimum celans, de partibus Orientis veniens, Dei monitu ad Noricos Ripenses se contulit, et quidem primum in oppido Asturis, postea aliis in locis huius provinciae, quin imo et vicinae Rhaetiae evangelicam et apostolicam doctrinam propagavit, poenitentiam praedicando et iram Dei tali modo avertendo. Iuxta muros Fabianae primarium sibi exstruxit monasterium. Rugo-

rum rex nomine Flaccithaeus magni habuit S. Severinum, quem in suis periculis tamquam coeleste consulebat oraculum. Etiam reliqui ex barbaris, quamvis essent Ariani, magno honore et observantia eum prosequerentur, et miraculis quam plurimis patratis evenit, ut tam Rugorum quam aliorum inde transeuntium barbarorum frequentissimus ad eum esset accessus. — Curam adhibuit pro redimendis captivis, ingenti penuriae Noricorum succurrebat, et idololatriae reliquias in eadem regione et detexit et penitus abstulit. — Dignitatem episcopatus sibi oblatam recusavit, et monachorum disciplinam bene instituit. — Admonuit regem Rugorum Feletheum et reginam Gisam instar Ieremiae, coëgitque iussa capessere*), a quibus resilientes mox divina est consecuta vindicta. Cum nimirum ambo isti ipsius S. Severini piis monitis non paruisent, post annos quinque vincti captivique ducti sunt in Italiam ab Odoacre rege Herulorum, cui itidem tempus, quo regnaturus esset, praedixit**).

Vitam S. Severini conscripsit eius discipulus *Eugippius*, presbyter et abbas, qui harum

*) cf. cap. IX. et cap. XL. vitae.

**) cf. cap. XLIV. vitae.

rerum praesens fuit *αὐτόπρωτος*, eamque, ut ipsemet in epistola ad Paschasium Diaconum ecclesiae Romanae (cuius S. Gregorius in *Dialogis* meminit*) testatur, biennio post consulatum Importuni i. e. Coss. Felice et Secundino, anno Christi 511**). Epistolam istam, sicuti illam Paschasio ad auctorem Eugippium qua prologum totius Vitae S. Severini praemittendam curavi.

Huius vitae S. Severini auctore Eugippio Codicem notatu dignissimum, dum in urbe sancta et aeterna commorarer, detexi in tabulariis principalis archibasilicae *Lateranensis*, Cathedralis Romanae et omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis matris et capitis. Codex iste in Catalogo describitur: „Passionale, seu vitae quamplurium Sanctorum, quae dicuntur compositae a Secundino Episcopo Taurominitarum, quibus praeponuntur quadraginta Homiliae S. Gregorii Papae.“ Constans IV Tomis,

*) cf. *Baron. Annal.* ad an. 496 I. II.

**) cf. *Pagius* in *Critica Hist. chronol.* ad *Annal. Baronii* VIII. p. 169. Edit. Lucae 1741. nec non *Lambeccius* Tom. I. *Biblioth. Caesareae* p. 26 et seq. ac *Mabillon.* Tom. II. *Vet. Analecta* p. 11 et *I. A. Fabricius* *Bibliothec. Med. et Inf. Latin. lib. V.*

signatur lit. A; a tergo invenitur adscriptus numerus LXXIX. Singuli tomi etiam literis a, b, c, d distinguuntur. Ab initio uniuscuiusque tomi invenitur inscriptio: „Est compositum a Secundino Episcopo Taurominitano tempore S. Gregorii Papae.“ Sed secunda manus recte addidit: „erronea inscriptio.“ Prima folia in nostro Codice desiderantur. Ceterum exstat bene conservatus. Per omnes partes ab una eademque manu est exaratus, si excipiuntur tituli capitulorum, qui a secunda manu colore rubro vel in margine adpersi vel in ipso contextu interpositi reperiuntur. Initiales sunt maioris formae, non semel figuris exornatae*). Codex hic est membranaceus in forma maxima, foliorum 290. Vita S. Severini exorditur a pag. 29 et desinit in pag. 40. Referendus esse videtur in saeculum decimum**).

*) En specimen eiusdem in tabula libro nostro adiecta.

**) cf. *Mabillon*. de re diplom. l. 5. p. 367. Tabell. XIII. N. 2. scripturae saec. X. — Post eum ex urbe sancta in patriam reditum mihi ad manus venit opus cl. Dr. *B. Dudik* O. S. B. (Iter Romanum I. Th. Wien 1855), qui pag. 62 Codicis laudati mentionem faciens eandem tuetur opinionem.

Exstant quidem Vitae S. Severini auctore Eugippio plures editiones. Primus hanc vitam vulgavit *Laurentius Surius*, ast valde mendosam (Histor. SS. tom. I. Colon. Agripp. 1576 a pag. 159). — Ex alio Ms. codice Cardinalis *Baronius* (ad annum AA. 454 p. Ch. seq.) quaedam fragmenta exscripsit, quae Pagius notis illustravit. Ille codex in membranis minoris formae manu exaratus hodieum Romae in bibliotheca Vallicellana Oratorii S. Philippi Neri de Urbe asservatur siglo Tom. XII. notatus, quem equidem denuo post Baronium contuli. Inscribitur: „Vitae Sanctorum et alia opuscula ex saec. XII.“ — Tertiam editionem ex bibliotheca S. Emmerani Ratisbonae additis scholiis eruditissimè adornavit *Marcus Velserus*, cuius in operibus (Norimbergae 1682 a pag. 629) exstat. — Has editiones contulit cum Ms. D. Nicolai Belfortii *Bollandus* (Acta Sanctorum I. Tom. Ianuar. p. 484 seq.), addens Eugippii ad Paschasium epistolam ex eodem Ms. et t. 6. Antiq. lect. Henrici Canisii. — Inter Austriacos primus *Hieronymus Pez* vitam S. Severini ex Cod. Ms. bibliothecae Mellicensis recensuit. (Exstat in Rer. Austr. Scriptoribus, tom. I. Lips. 1721 a pag. 62.) — Excerpta ex eadem vita a Petro Lambeccio illu-

strata exstant in Comment. de Biblioth. Caesar. Vindobonensi (tom. II. Vindob. 1669, pag. 12).*)

Ad novam vitae S. Severini recensionem suscipiendam his adductus sum rationibus. Ac primum quidem Codex noster Lateranensis in pluribus locis gravissimi momenti discrepat ab aliis. Deinde ob vetustatem et eminentiam loci, in quo hucusque latuit, praepriis se commendat. Denique editionem non tam grandis voluminis nec tam difficiliter acquirendam eiusdem laudati Codicis, omnes historiae provinciae Austriae Inferioris incumbentes absque dubio magni aestimabunt. Forsitan etiam quaestioni multum vexatae de situ et nomine quarumdam occurrentium urbium, de quibus adhuc sub iudice lis est, novam lucem subministrabit. Verum hic loci coniecturis locum dare nec iuvat nec placet. Sufficit antiquissimum hunc Codicem in lucem edidisse et critice recensuisse.

*) S. Severini vitam scripsit (praeter alios) *Bertholdus Ritzel*, Professor Mellicensis, in opere cui titulus: „Sancta et Beata Austria“ Tomo I. (et unico), Augustae Vindelic. 1750, a pag. 71—118, de quo vid. Geschichte des Benedictiner-Stiftes Melk von Ignaz Keiblinger, I. Bd. S. 1001—1002. Note 2. Lingua vernacula unacum notis hanc Vitam edidit Carolus Ritter. Linz, 1853.

Quod apparatus criticum attinet, notandum est, quod Codicem Lateranensem litera *A* signatum presso pede secutus sum; praepriis nomina propria ad verbum retinui. Lektionen varias scrupulose addidi, hunc in modum, ut signo *B* editionem Bollandistarum utpote praecipuam notarem, reliquos autem codices iuxta nomina editorum v. g. Baronius, Velsler, Pez, Surius etc. citarem. — Capitulum partitionem, quam Codex *A* exhibet, quaeque usui magis convenire mihi videbatur, retinui, quamvis a Bollandistis discrepet, eamque maioris perspicuitatis gratia indicis instar in fronte libri collocavi. — Quae lunulis inclusa inveniuntur, non in Codice exstant, sed pro faciliiori intelligentia addebantur.

Superest, ut haec editio vitae S. Severini primitus pro quotidiano usu adaptata in manus praepriis studiosae iuventutis ac Cleri provinciae Austriae perveniat, ab eisque libenter perlegatur, quippe quum haec Vita unicum fere Ecclesiae Noricae vetustissimum et fide maxime dignum sit monumentum. Insuper idem libellus a me recensitus ne historiographis quidem et geographiae veteris cultoribus indifferens adparebit.

Non sunt, quae praefationi meae addam,

nisi venerabilis parentis Annalium Ecclesiae, Caesaris Cardinalis Baronii (ad an. 482) dignissimum recensitu eloquium de morte S. Severini: „Ad hoc ipsum vivum semperque manens omnium virtutum dignissimum exemplar digito Dei inscriptum ... provoco ...; qui iure licet Noricorum Apostolus nominetur, tamen non solum Noricis, sed et Batavis, Vindelicis, Rugis et aliis Evangelium praedicavit, sequentibus apostolicis signis Quo cum eadem nationes tanto glorientur institutore: quid est quod quamplurimi ex ipsis, posthabita recta veraque miraculis etiam ostensa doctrina, conversi sint ad recentiorum fabulas haereticorum? Cuius rerum praeclare gestarum auctorem habetis adeo probatum, utpote qui scripsit ea, quae vidit, et tanta quidem fide, ut non audeant eum vestri reicere, imo laudent, celebrant atque commendat.“

Scribebam *Romae*, festo S. Hippolyti Martyris, 1860.

I N D E X.

P R O O E M I U M.

	Pag.
Epistola Eugippii ad Paskasium Diaconum . . .	1
Epistola Paskasii Diaconi ad Eugippium Presbyterum	8

V I T A S A N C T I S E V E R I N I .

I. Quomodo primum beatus Severinus in oppido, quod Asturis vocatur, et saluberrima exhortatione bonorum operum et veracissima futurorum praedicatione claruerit	11
II. De oppido, cui erat vocabulum Comagenis, per eum mirabiliter ab hostibus liberato . . .	14
III. De civitate oppressa fame, et muliere occultante frumenta, et de adventu navium . . .	14
IV. De praedonibus barbaris, qui etiam omnia arma sua cum praeda, quam extra muros Fabianensium ceperant, amiserunt; vel de instituto eius atque humilitate praecipua . . .	16
V. In quanta reverentia eum Rugorum rex Flaccithaeus habuerit, vel qualiter ab insidiis inimicorum ipsius sit liberatus oraculo	20
VI. De unico filio viduae gentis praedictae Rugorum, quem per annos duodecim dolor excruciaverat, viri Dei oratione sanato	22

	Pag.
VII. Qualiter Odoacer adolescentulus, vilissimis pellibus opertus, ab eo praenuntiatus sit regnaturus	24
VIII. Quod Felethaeus, qui et Feva, Rugorum rex antelati filius Flaccithaei, pessimam conjugem rebaptizare catholicos metu Sancti Severini vetuerit, vel quale periculum illa de parvunculo filio suo Frederico quadam die, dum de quibusdam intercessionem eius contempsisset, incurrerit	24
IX. De portitore reliquiarum S. Gervasii et Protasii martyrum, mirifica viri Dei revelatione monstrato, vel qua responsione, dum rogaretur, episcopatus declinaverit honorem	27
X. De quodam ostiario uspiam egredi quadam die prohibito, mox a barbaris capto ab eisdemque suppliciter restituto	29
XI. De miraculo, quod in castello Cucullis factum est, ubi cereis divinitus accensis sacrilegi, qui se prim(itus) occultaverant, declaratis (celeris) correpti	30
XII. Quemadmodum de finibus praefati castelli locustae ieiunio et oratione atque eleemosynis Deo propitiato depulsae sint, abrasa mirabiliter segete cuiusdam pauperis increduli contemptoris	33
XIII. Quomodo cereus in manu servi Dei orantis accensus sit, dum vespertinae laudis officio ignis de more necessarius minime fuisset inventus	35

	Pag.
XIV. De mirabili sanatione mulieris desperatae, quae post immanem diutinumque languorem ita viri Dei oratione convaluit, ut ad opus agrale die tertio fortis accesserit	36
XV. Quemadmodum in baiulos postes a parte fluminis ecclesiam sustentantes, quas aqua saepe superfluens transcendebat, orans Dei servus crucis signaculum securi scalpsit, quod signum deinceps aqua penitus non excedebat	37
XVI. De Silvino presbytero defuncto, cuius cadaver feretro impositum celebratis nocte vigiliis mox ad vocem vocantis aperuit oculos, rogans Dei famulum, quo vocante revixerat, ne ulterius experta requie privaretur	39
XVII. Quam sollicita pauperibus cura ministraverit, vel quod distributioni eius etiam Norici dirigebant decimas, quibus de more perlatis periculum his, qui dirigere distulerant, imminere praedixit	41
XVIII. Quemadmodum rubigo, quae messibus nocitura paruerat, per virum Dei ieiuniis et oratione depulsa sit	43
XIX. Quod Gibuldus, Alamannorum rex, coram servo Dei magno sit tremore concussus, et redidit multitudinem captivorum	43
XX. Quomodo ei militum fuerit intervectio revelata, propter quorum corpora sepelienda suos ignorantes direxit ad fluvium	45
XXI. Paulinum presbyterum, qui de longinquo ad eum venerat, revertentem ad patriam, praedixit Norici episcopum ordinandum	46

	Pag.
XXII. Quod dum basilicae novae sanctuaria quaerentur, ultro sibi S. Ioannis Baptistae benedictionem praenuntiaverit deferendam et illi oppido cladem se absente futuram, quod in baptisterio presbyter vaniloquam interfectus est	46
XXIII. Qualiter sanctuaria praedicta susceperit	49
XXIV. De mansoribus alterius oppidi, qui spreto mandatis oraculo mox ab Herulis interfecti sunt, quia locum praemoniti relinquere noluerunt	49
XXV. Quemadmodum destinatis ad Noricum castella ieiuniis atque eleemosynis praemunierit, quibus praenuntiata hostis irruptio nocere non potuit	51
XXVI. De leproso mundato, qui reverti ad propria, ne lepram peccati magis incurreret, vitavit	51
XXVII. De victoria, quam apud Batavis de Almannis oratione S. Severini sumpsere Romani, et quod post triumphum, qui praedicentem sequi spreverant, sunt preempti	52
XXVIII. Quemadmodum ministrante famulo Dei pauperibus oleum crevisse proveniunt	54
XXIX. De his, quibus collo vestes egenis erogandas a Norico deferentibus, ursus media hyeme ducatum per nives heremi usque ad humana habitacula praebuit, quos tali duce venire solita vir Dei revelatione cognovit	55
XXX. Qualiter ad civitatem Lauriacum hostes futura nocte venturos praesenserit, et male	

	Pag.
securis civibus vigilare vix suaserit, quod mane probantes infidelitati veniam cum gratiarum actione posebant	57
XXXI. Quomodo Fevae regi Rugorum ad Lauriacum cum exercitu venienti occurrerit, et in sua fide populos susceperit, ut eos ad inferiora oppida, id est Rugis viciniora deduceret	59
XXXII. Quemadmodum Odoacer rex reliqua a se separari poscens Ambrosium quemdam de exilio ad servi Dei litteras revocaverit, et quot annis regnaturus foret, laudatoribus eius idem Dei servus praedixerit	62
XXXIII. De filio cuiusdam ex optimatibus regis Rugorum in oppido Comagenis viri Dei oratione sanato	63
XXXIV. Quomodo elephantiosus quidam nomine Teio curatus sit	63
XXXV. De Bonoso monacho, qui dum de oculorum imbecillitate quaeretur, audivit ab eo, ora magis ut corde plus videas, mox mirabiliter affectum iugiter orandi promeruit	63
XXXVI. De tribus superbientibus monachis, quos tradidit satanae, ut eorum spiritus salvaretur, de qua re prolatis duobus patrum exemplis, verissimam loco suo reddidit rationem	64
XXXVII. Quemadmodum hora tribulationis Marciani et Renati monachorum suorum, quam in alia provincia positi pertulerunt, oratione praesentibus caeteris fratribus indicia signaverit	66
XXXVIII. De periculo lethalis papulae quod ante quadraginta dies Ursó monacho futurum et revelatione praedixit, et oratione curavit	66

	Pag.
XXXIX. De habitaculo eiusdem beati viri, stratu quoque vel cibo pauca tenuiter indicantur . . .	67
XL. Qualiter dum propinquare transitum suum Deo sibi revelante sensisset, regem Fevam noxiamque reginam fuerat allocutus, nec suos ex illo praemonere destiterit generalem populi migrationem propinquare praenuntians, suumque corpusculum pariter portari praecipiens . . .	68
XLI. Quomodo etiam diem transitus sui sancto Lucillo presbytero manifestius indicarit . . .	70
XLII. Quemadmodum Ferderuchum fratrem praedicti regis Fevae contestatus suos commonuerit	71
XLIII. De obitu eius et qualibus monitis ultima suos et proluxa pijs exhortatione fuerit prosecutus	72
XLIV. Quali post discessum eius monasterio Ferderuchus intulerit, qualiterve punitus sit, vel quatenus eius oraculum prospera populi fuerit migratione completum, vel corpusculum eius levatum carpentoque devectum	75
XLV. De multorum tunc sanatione debilium, qua de singulis omissa unius tantum multi loquela refertur, orando sub carro, quo adhuc erat corpusculum, reddita	78
XLVI. De fide illustris feminae Barbariae susceptricis, et occursu Neapolitani populi, ubi cum nihilominus multi tunc a diversis fuerint sanati languoribus, trium tantum sanatio memoratur	79

INCIPIT PROLOGUS DE VITA VEL OBITU SANCTI SEVERINI.

[*Epistola Eugippii ad Paskasium Diaconum.*]

Domino sancto ac venerabili Paskasio diacono Eugippius¹⁾ in Christo salutem. Ante hoc ferme biennium, Consulatu scilicet Importuni, epistola cuiusdam laici nobilis ad quemdam directa presbyterum nobis oblata est ad legendum, continens vitam Bassi²⁾ monachi; qui quondam in monasterio montis, cui vocabulum est Titas, super Ariminum commoratus, post in Lucaniae regione defunctus est, vir et multis et mihi notissimus. Quam epistolam, cum a quibusdam descriptam³⁾ cognoscerem, coepi mecum ipse tractare, nec non et viris religionis edicere, tanta per B. Severinum divinis effectibus celebrata, non oportere celare miracula.

1) Quoniam scriptura Cod. A. variat inter *Eugippius* et *Eugepius*, ego quidem omnibus locis retinendam censui *Eugippius*.

2) *Basilici* B.

3) *describi* B.

Quae cum auctor Epistolae⁴⁾ rescisset, animo promptiore mandavit, ut aliqua sibi per me eiusdem S. Severini mitterentur indicia, quibus instructus libellum vitae eius ederet⁵⁾, posteriorum⁶⁾ memoriae profuturum. Hac⁷⁾ ergo protinus oblatione compulsus, Commemoratorium nonnullis refertum iudiciis ex notissima nobis et quotidiana maiorum relatione composui, non sine magno moerore animi, iniustum scilicet reputans, ut te superstite laicus a nobis hoc opus rogaretur efficere⁸⁾: cui et modus et color operis non sine praesumptione quadam possit iniungi, ne forsitan seculari tantum litteratura politus, tali vitam sermone conscriberet, in quo multorum plurimum laboraret inscitia; et res mirabiles, quae diu quadam silentii⁹⁾ nocte latuerant, quantum ad nos attinet ignaros¹⁰⁾ liberalium litterarum, obscura dissertitudine non lucerent. Sed nequaquam¹¹⁾ ultra lucernae illius igniculum, te velut sole splendente, perquiram, tantum ne

4) *praefatae* add. B.

5) *pro ederet* exhibet B. *scriberet*.

6) *posteriorum* B.

7) mendose Cod. A. *huic*; quare in textum lectionem Cod. B. recepi.

8) transmutat verba haec *rogaretur efficere* Cod. B.

9) *silenti* B.

10) Ita Cod. B. coniungit voculam *ignaros* cum praecedenti *nos*. Scriptura autem Cod. B. *ignaris* huiusmodi est, ut verbum illud dependere sit dicendum a sequenti *lucerent*.

11) *non* B.

mihî peritiae tuae radios nube quadam excusationis obducas, imperitiam propriam¹²⁾ videlicet accusando. Noli, obsecro, tam duris me verberare sermonibus, dum dicis: Quid tibi aquas expectare de silice? Iam utique non expecto te silice plateae secularis, sed a te, qui spiritalibus spiritalia comparans, nos de firmissima petra illo quo profuis orationis melle recreabis; de quo iam nectareum suavissimae promissionis gustum dirigens praecipis, ut Commemoratorium vel indicia vitae saepe dicti Sancti¹³⁾ Severini transmitterem, quae donec in tuae constructionis libellum transire mereantur, nequaquam animum recensentis offendant. Quisquis enim ad construendam domum architectum requirit, necessariam sollicitus¹⁴⁾ materiem praeparat¹⁵⁾: quod si moles ad instar parietum impolitis componat¹⁶⁾, artifice tardante, lapidibus, numquid¹⁷⁾ aedificasse dicendus est, ubi nulla magistri¹⁸⁾ structura prorsus intervenit¹⁹⁾, nulla rite subiicitur fundamenti munitio²⁰⁾: sic ego quoque; pre-

12) *propriam* om. B.

13) *sancti* excidit in B.

14) *sollicite* B.

15) Cod. B. magis cohortative *praeparet*.

16) *componatur* B.

17) *numquam* B.

18) per lapsum calami in Cod. A. tres litterae ultimae *tri* desunt.

19) *intraverit* perperam B.

20) *subiiciuntur munimenta* B.

tiosam materiem²¹⁾ ingenio vestro, vilissima compositione vix praeparans, num²²⁾ putari debeo conscripsisse quod cupio, ubi disciplinae liberalis nulla constructio, nullus grammatici culminis decor existit. Habet plane certum fundamentum solius fidei, quo sanctum virum mirandis constat claruisse virtutibus, quod per manus linguae tuae nunc confero²³⁾ collocandum, de tui operis fastigio laudes Christo debitas redditurus.

Illa quoque precor virtutum beneficia sanitatumque remedia, quae vel in itinere, vel hic ad²⁴⁾ eiusdem beatissimi Patris memoriam divina sunt peracta virtute, digneris adnectere; quae quoniam fidelis portitor filius vester Deo gratias optime novit, verbo commendavimus²⁵⁾ intimanda, sperantes nos baiuli nomen etiam de tui operis perfectione iugiter esse dicturos; ut Dei fidelissimus famulus tantis virtutibus opimus²⁶⁾, sicut ad Sanctorum gloriam suis per Christi gratiam meritis evehitur, sic ad humanam memoriam tuis litteris consecratur. Sane patria, de qua fuerit²⁷⁾ oriundus, fortasse ne-

21) hanc Cod. A. scriptionem, quippe quae analogiis non sit destituta, semper retinendam duxi.

22) non absolute B.

23) offero elegantius at non verius B.

24) apud B.

25) tempus praesens *commendamus* exstat in B.

26) *opulentus* B.

27) minus regulis Grammaticae consonat lectio Cod. B. *fuit*.

cessario a nobis inquiritur²⁸⁾, unde²⁹⁾ sicut moris est, texendae cuiuspian³⁰⁾ vitae sumatur exordium. De me fateor nullum evidens habere documentum³¹⁾.

Nam cum multi³²⁾ sacerdotes et spirituales viri, nec non et laici nobiles atque religiosi, vel indigenae, vel de longinquis ad eum regionibus confluentes saepius haesitaverint³³⁾ inter se quaerentes, cuius nationis esset vir, quem tantis cernerent fulgere virtutibus, nec ullus ab eo penitus³⁴⁾ auderet inquirere; tandem Primenius³⁵⁾ quidam presbyter Italiae, nobilis et totius auctoritatis vir, qui ad eum confugerat tempore quo Patricius Orestes inique peremptus est, interfectores eius metuens, eo quod interfecti velut pater fuisse diceretur. Post multos itaque familiaritatis adeptae dies, erupit quasi pro omnibus, et ita sciscitatus est dicens: „Domine sancte, de qua provincia Deus his regionibus tale lumen donare dignatus est?“ Cui vir Dei faceta primum hilaritate

28) *requiritur* B.

29) pro *unde* substituit B. *ut inde*.

30) om. B.

31) Ita Cod. A. Exornat hoc effatum Cod. B. hunc in modum: *de qua licet me fatear nullum evidens habere documentum, tamen quid hinc habendum etc.* Patet, hanc prolixitatem non genuinam sed cuivis Scholiastae esse adscribendam.

32) cum multi *igitur* B.

33) *haesitarent* B. et Baronius.

34) *penitus* ante *ab eo* pon. B.

35) inepte *Primsnius* A. *Primentus* Pez.

respondit: „Si fugitivum putas, para tibi pretium, quod pro me possis, cum fuero requisitus, offerre.“ His talia Severinus³⁶⁾ mox subiiciens: „Quid prodest, inquit, servo Dei significatio sui³⁷⁾ loci, vel generis sui, cum potius id tacendo facilius possit evitare iactantiam³⁸⁾, utpote sinistram, qua nesciente cupio omne³⁹⁾ opus bonum Christo donante perficere, quo mereatur⁴⁰⁾ dextris⁴¹⁾ socius fieri et supernae patriae civis ascribi? Qua⁴²⁾ si me indignum veraciter designare⁴³⁾ cognoscis, quid te necesse est terrenam cognoscere, quam quaeris⁴⁴⁾? Verumtamen scito, quia Deus, qui te sacerdotem fieri praestitit, ipse me quoque periclitantibus his hominibus interesse praecepit.“ Tali⁴⁵⁾ memoratus presbyter responsione conticuit, nec quisquam ante vel post beatum virum super hac parte percontari praesumpsit.

36) *Severinus serio* B., qui idem *mox* voci *subiiciens* postponit. Baronius legit *Senior*.

37) *sui* om. B.

38) *cum possit id tacendo sanctius vitare iactantiam* B.

39) *omne* deest in B.

40) eodem iure, si ratio sensus habetur, altera Cod. B. lectio *merear* potest defendi.

41) *dextris* concrete A.; *dexteræ* absolute B. Alludere videtur auctor.

42) *Qua*; a secunda manu *quam*; scriptura primae manus, consentiens cum Cod. B., est erasa.

43) *desiderare* B.

44) *requiris* B.

45) Ante *tali* addit particulam *et* B.

Loquela tamen ipsius manifestabat⁴⁶⁾ hominem omnino Latinum, quem constat prius⁴⁷⁾ ad quandam Orientis solitudinem fervore perfectioris vitae fuisse profectum; atque inde post ad Norici Ripensis oppida, Pannoniae superioris vicina, quae barbarorum crebris premebantur incursibus, divina compulsum visitatione⁴⁸⁾ venisse; sicut ipse clauso sermone tamquam de alio aliquo referre solitus erat⁴⁹⁾, nonnullas Orientis urbes nominans, et itineris immensi pericula se mirabiliter transisse significans. Haec igitur sola, quae retuli, quotiens de B. Severini patria sermo ortus est, etiam ipso superstite, semper audivi. Indicia vero mirabilis vitae eius huic epistolae coniuncta⁵⁰⁾ praelatis capitulis commemoratorio recensita, fient, ut rogavi, libro vestri magisterii⁵¹⁾ clariora. Superest, ut eius orationibus tuas sociare non desinas, ut⁵²⁾ indulgentiam mihi poscere non desistas⁵³⁾.

46) *testabatur* B. Pez. addit *Africanum*.

47) *prius* om. B.

48) *revelatione* B.

49) haud ita intricata videri potest, quae praeferentatur Cod. B. lectio: *sicut ipse causa secretiori, tamquam de alio loqueretur, ferre solitus erat.*

50) pro ultima litera *a* Cod. A. perperam habet *o*.

51) aliter Cod. B. *libri vestri magisterio*.

52) *et* B.

53) *desistat* A. per lapsum calami.

INCIPIT EPISTOLA PASKASII DIACONI
AD EUGIPPIUM PRESBYTERUM.

[*Epistola Paskasii Diaconi ad Eugippium presbyterum.*]

Domino sancto semperque carissimo Eugip-
pio presbytero Paskasius Diaconus. Frater in
Christo carissime, dum nos peritiae tuae facun-
dia et otii felicitate perpendis⁵⁴⁾, amaritudines
occupationesque multiplices peccatorum retra-
ctare contemnis, pudoris iacturam dilectionis
contemplatione sustineo⁵⁵⁾. Direxisti Com-
memoratorium, cui nihil possit adiciere facundia
peritorum, et opus quod ecclesiae possit uni-
versitas⁵⁶⁾ recensere, brevi reserasti compen-
dio, dum B. Severini finitimas Pannoniorum
provincias incolentis vitam moresque verius
explicasti, et quae per illum divina virtus est
operata miracula, diuturnis mansura temporibus
tradidisti⁵⁷⁾ memoriae posterorum. Nesciunt enim facta priorum⁵⁸⁾ praeterire cum
saeculo: ut omnes praesentem habeant, et se-
cum quodammodo sentiant commorari, quibus
eum relatio pervexerit lectionis. Et ideo, quia

54) *perpendens* B.

55) Cod. B. ex indicativo facit imperativum *sustine*.

56) *ecclesiae universitas possit* B.

57) *tradidistis* mendose A.

58) Cod. B.; qui post *nesciunt* om. enim, sequens
priorum absque ulla ratione commutavit in *piorum*.

tu haec, quae a me narranda poscebas, elocu-
tus es simplicius, explicasti facilius; nihil ad-
ficiendum labori vestro studio nostro credidi-
mus. Siquidem aliter audita narramus, aliter
experta depromimus. Facilius virtutes magi-
strorum a discipulis exponuntur, quae sugge-
runtur crebrius conversatione docentium.

Divinis charismatibus inspiratus, seis bono-
rum mentibus excolendis, quantum gesta San-
ctorum utilitatis impertiant, quantum puritatis
infundant⁵⁹⁾, de qua re Apostolicae vocis au-
toritas latius innotescens: Forma, inquit,
estote gregi (I. Pet. 5, 3.); et B. Paulus Timo-
theo praecipit⁶⁰⁾: Forma esto fidelibus (I. Tim.
4, 12.). Unde idem Apostolus iustorum cata-
logum summa brevitate contexens et⁶¹⁾ ab
Abel incipiens insignium virorum pergit nar-
rare virtutes (Hebr. 11.). Sic et ille fidelissi-
mus Mathathias, morti gloriosissimae iam pro-
pinquans, filiis suis haereditario iure Sancto-
rum exempla distribuit, quorum certaminibus
admirandis celerius⁶²⁾ excitati, animas suas
pro legibus sempiternis sanctitatis fervore con-
temnerent (I. Mac. 2.). Nec paterna liberos
fefellerit instructio: tantum enim profuerunt me-
moratis facta maiorum, ut apertissima fide ar-

59) addit *quantum fervoris attribuant* B.

60) *praecipit* B.

61) *et om.* B.

62) *celebrius* A.

matos⁶³) principes deterrerent, castra sacri-
lega superarent, cultus arasque daemonicas
longe lateque diruerent, civicamque coronam,
sertis decorati⁶⁴) perennibus, splendenti pa-
triae providerent. Unde et nos ornamentis
sponsae Christi quiddam fraterno ministerio
provideri gaudemus⁶⁵), non quod illis⁶⁶), ut
credo, temporibus defuerit clarior vita maio-
rum, sed quod domum magni regis plurimorum
vexilla trophaeorum habere conveniat. Non
enim vera virtus excluditur numerositate vir-
tutum, sed optatis successibus eatenus amplia-
tur. Misericordia Dei nostri sanctitatem ve-
stram semper tueatur incolumem⁶⁷).

63) *armarentur* B.

64) *decoratam* B. ad *coronam* refert.

65) *providere gaudeamus* B.

66) *quo ullis* B.

67) Clausula haec: *misericordia Dei . . . incolumem* desideratur in Cod. B. et in Baronio.

VITA SANCTI SEVERINI.

VI. ID. IANUAR.

INCIPIIT VITA VEL OBITUS ST. SEVERINI CONFESSORIS.

I. In tempore¹), quo Attila rex Hunnorum defunctus est, utraque Pannonia ceteraque confinia Danuvii²) rebus turbabantur ambiguis³). Tunc itaque sanctissimus Dei famulus Severinus de partibus Orientis adveniens in vicinia Norici Ripensis et Pannoniorum parvo⁴), quod Asturis⁵) dicitur, oppido morabatur, vivens

1) Sine particula in Cod. B.

2) *Dannubii* B.; duplicantur saepe in Cod. medii aevi literae consonantes, et commutantur non semel labiales *b* et *v*.

3) Cod. B. add.: „*ac primum inter filios eius de obtinendo regno magna sunt exorta certamina, qui morbo iniquae dominationis inflati, materiam sui scelestis acceperere patris interitum.*“

4) *in vicinis Norici Ripensis et Pannoniorum partibus* B.

5) Baronius legit: *de partibus Orientis in Pannoniam veniens, morabatur in oppido, quod Casturis dicitur*; quae quidem lectio commentatori erudito debetur, verum non ad genuinam scriptoris manum referri potest. — *Casturis* etiam legit Pez.

iuxta evangelicam apostolicamque doctrinam, omni castitate et pietate praeditus, in confessione catholicae fidei venerabile propositum sanctis operibus adimplebat. Dum ergo talibus exercitiis roboratus palmam supernae vocationis innocue sequeretur, quadam die ad ecclesiam processit ex more: tunc presbyteris, clero vel civibus⁶⁾ requisitis, coepit tota mentis humilitate praedicere, ut propter⁷⁾ hostium insidias imminentes orationibus ac ieiuniis et misericordiae fructibus inhaerent⁸⁾. Sed animi contumaces ac desiderii carnalibus inclinati, praedicens oracula infidelitatis suae discrimine probaverunt. Famulus autem Dei reversus ad hospitium, quo ab ecclesiae fuerat custode susceptus, diem et horam imminentis excidii prodens⁹⁾: „de contumaci, ait, oppido et cito¹⁰⁾ perituro festinus abscedo.“ Inde ad proximum quod Commagenis¹¹⁾ appellabatur oppidum declinavit. Hoc barbarorum intrinsecus consistentium, qui cum Romanis foedus inierunt¹²⁾, custodia servabatur arctissima, nul-

6) Cod. B. *presbytero, clero etc.*

7) *propter* om. B.; ast necessaria est haec praepositio ad intelligenda ea, quae sequuntur.

8) *inhiberent* B. et Baronius, quae discrepantia explicanda est inde, quod antea *propter* perperam omisum est.

9) lapsu calami exhibet A. *prodiens*.

10) *citius* B.

11) Comagenis puta Castris, Velsler.

12) *inierant* B.

laque¹³⁾ ingrediendi aut egrediendi facile¹⁴⁾ licentia praestabatur. A quibus tamen Dei famulus, cum esset ignotus, nec interrogatus est, nec repulsus. Itaque mox ingressus ecclesiam, cunctos de salute propria desperantes, ieiunio et orationibus atque eleemosynis hortabatur¹⁵⁾ armari, proponens antiquae salutis exemplum¹⁶⁾, quibus divina protectio populum suum contra opinionem¹⁷⁾ mirabiliter liberasset. Cumque salutem omnium in ipso discriminis articulo promittenti credere dubitarent, senex qui dudum in Asturis tanti hospitis susceptor extiterat, venit, atque a portarum custodibus sollicita interrogatione discussus, interitum sui oppidi habitu verboque monstravit, adiiciens eadem die qua quidam homo Dei praedixerat, barbarorum vastatione¹⁸⁾ deletum. Quo audito solliciti responderunt: „putas, non ipse est¹⁹⁾, qui desperatis rebus Dei nobis subsidia pollicetur?“ Mox igitur in ecclesia recognito Dei famulo, senex pedibus eius²⁰⁾ prostratus aiebat, ipsius se meritis liberatum, ne cum caeteris oppidaneis subiret excidium.

13) *nullique* B. et Baronius.

14) *facilis* B. et Baronius, qua discordantia sensus alius non efficitur.

15) praesens historicum *hortatur* exhibet B.

16) in plurali *exempla* B. et Baronius.

17) post opinionem *omnium* add. B. et Baronius.

18) *fuisse* interserit B. Baronius legit *vastitate*.

19) *pro non* exhibet *ne* B. et Baronius; procul dubio magis conforme regulis grammatices.

20) *eius pedibus* B.

II. His auditis habitatores oppidi memorati incredulitatis¹⁾ veniam postulant, monitis viri Dei sancti²⁾ operibus paruerunt, ieiuniisque dediti et³⁾ in ecclesia per triduum congregati, errata praeterita castigabant gemitibus et lamentis. Die autem tertia⁴⁾, cum sacrificii vespertini solemnitas impleretur, facto subito terrae motu, ita sunt barbari intrinsecus habitantes exterriti, ut portas sibi Romanos coegerent aperire velociter. Exeuntes igitur conciti⁵⁾ diffugerunt, aestimantes se⁶⁾ vicinorum hostium obsidione vallatos, actoque⁷⁾ terrore divinitus, noctis⁸⁾ errore confusi, mutuis se gladiis conciderunt. Tali ergo adversariis interneceione consumptis, divino plebs servata praesidio, per sanctum virum armis didicit pugnare coelestibus.

III. Eodem tempore civitatem nomine Fabianis¹⁾ saeva fames oppresserat, cuius²⁾ habitatores unicum sibi remedium fore³⁾ credi-

1) *incredulitati* B.

2) Cod. B. *sanctis* relatum ad *operibus*.

3) particula *et* excidit in B.

4) *tertio* B.

5) *cuncti* B.; forsitan forma contracta pro *conciti*.

6) Cod. B. *perperam* interserit *quam*.

7) *auctoque* B. et Baronius.

8) *et noctis* B.

1) Cf. supra I. nota 2. — In nostro Cod. semper apparet scriptura *Fabianis*. Cod. B. scribit *Favianis*; ita et Pez.; Velserus *Castra Fabiana*. Baronius *Fabianas*.

2) demonstrativum *huius* B.

3) *affore* legit B. *adferre* Baronius.

derunt, si ex supradicto oppido Comagenis hominem Dei religiosis precibus invitarent. Quos ille ad se venire praenosens, a Domino, ut cum eis pergeret, admonetur⁴⁾. Quo tum venisset, coepit civibus suadere dicens: „poenitentiae fructibus poteritis⁵⁾ a tanta famis pernicie liberari.“ Qui cum talibus proficerent institutis, beatus⁶⁾ Severinus divina revelatione cognovit, quandam viduam nomine Proculam fruges plurimas occultasse. Quam productam in medium arguit vehementer. „Cur, inquit, nobilissimis orta natalibus, cupiditatis te praebes ancillam, et extas avaritiae mancipium, quae est, docente Apostolo, servitus idolorum? (Gal. 4, 20.) Ecce Domino famulis suis misericorditer consulente, tu quid de male paratis⁷⁾ facias non habebis, nisi forte frumenta diu negata⁸⁾ in Danubii fluentia proiciens, humanitatem piscibus exhibeas, quam hominibus denegasti. Quamobrem subveni tibi potius quam pauperibus, ex his quae adhuc te aestimas Christo esuriente servare.“ Quibus auditis magno mulier pavore perterrita, coepit ser-

4) Cod. B. uberius exponit: „*quos ille ad se ventum ire praenosens, cum haesitaret utrum pergeret cum eis necne, a Domino, ut cum eis pergeret, ammonetur*. Cod. A. *perperam*: *ammoneretur*. Baronius habet: *commonetur*.“

5) transpositio in B.: *poteritis poenitentiae fructus*.

6) *beatissimus* B.

7) *partis* B. et Baronius.

8) *denegata* B.

vata libenter erogare pauperibus. Igitur non multo post rates plurimae de partibus Rhaetiarum, mercibus onustae quam plurimis, insperate videntur in littore Danubii, quae multis diebus crassa Eni⁹⁾ fluminis glacie fuerant colligatae¹⁰⁾: quae Dei imperio mox solutae, ciborum copias fame laborantibus detulerunt. Tunc coeperunt omnes Deum insperati remedii largitorem continua¹¹⁾ devotione laudare, qui se tabe diuturnae famis interire credebant¹²⁾, fatentes evidentius¹³⁾ rates extra tempus glaciali solutas frigore¹⁴⁾ servi Dei praecibus advenisse.

IV. Per idem tempus inopinata surreptione praedones barbari, quaecumque extra muros hominum pecudumque repererant, duxere captiva. Tunc plures e civibus¹⁾ ad virum Dei cum lacrymis confluentes illatae calamitatis exitium retulerunt, simul ostendentes indicia recentium rapinarum. Ille vero Mamertinum percunctatus est, tunc tribunum, qui post epi-

9) In vocula *crassa* A. omisit ultimam literam *a*, et ex duobus verbis fecit unum *crass eni*. Velserr mendose *Rheni*. Baronius om. *Eni*.

10) *congelatae* B. et Baronius.

11) *continuata* B.

12) *qui malo diuturnae . . . crediderant*, B. Baronius legit: *qui de tabe* etc.

13) deest in B.

14) Cod. B. legit: *extra legitimum tempus a glaciei resolutas frigore*. Baronius concordat cum A.

1) *sicque phures de civibus* B.

scopus ordinatus est²⁾, utrum aliquos secum haberet armatos, cum quibus latrunculos sequeretur instantius. Qui respondit: „Milites quidem habeo paucissimos, sed³⁾ non audeo cum tanta hostium turba⁴⁾ confluere. Quod si tua veneratio praecipit, quamvis auxilium nobis desit armorum, credimus tamen⁵⁾ tua nos fieri oratione victores.“ Et Dei famulus ait: „Etiam si inermes sunt milites, nunc ex hostibus armabuntur; nec enim numerus aut fortitudo humana requiritur, ubi propugnator Deus per omnia comprobatur; tantum in nomine Domini⁶⁾ perge velociter⁷⁾; iam Deo⁸⁾ misericorditer praeunte debilis quisque fortissimus apparebit; Dominus pro vobis pugnabit, et vos tacebitis. Vade ergo festinus, hoc unum ante omnia servaturus, ut ad me, quos ex barbaris ceperis, perducas incolumes.“ Exeuntes igitur in secundo milliario super rivum qui vocatur Tigantia⁹⁾ praedictos latrones invenerunt¹⁰⁾, quibus in fugam repente conversis, arma omnium sustulerunt: ceteros vero victos

2) In Cod. B. transpositio: *ordinatus est episcopus*.

3) *et ideo* B.

4) *multitudine* B.

5) *tamen* om. B.

6) *Dei* B.; haec mutatio *Domini* et *Dei* saepius occurrit.

7) Cod. B. add.: *perge fidenter*.

8) *nam Domino* B.

9) Surius legit *Taguntia*. B. *Ticuntia*. Pez. *Dicuntia*.

10) praesens histor. *inveniunt* B.

ad Dei famulum, ut praedixerat¹¹⁾, adduxere¹²⁾ captivos. Quos absolutis vinculis, cibo potuque refectos, paucis alloquitur: „Ite, et vestris denuntiate complicitibus, ne aviditate praedandi ultra huc audeant propinquare; nam statim coelestis vindictae iudicio punientur, Deo pro suis famulis dimicante, quos ita consuevit superna¹³⁾ virtute protegere, ut tela hostium non eis inferant vulnera, sed arma potius subministrent.“ Dimissis itaque barbaris, ipse de Christi miraculis gratulatur, de cuius et miseratione¹⁴⁾ promittit, numquam illud oppidum hostium praedas ulterius experturum, cives¹⁵⁾ tantum ab opere Dei nec prospera nec adversa retraherent.

Deinde B. Severinus in locum remotiorem recedens¹⁶⁾ qui ad Vineas vocabatur, cellula parva contentus, ad praedictum oppidum remeare divina revelatione compellitur, ita¹⁷⁾ quamvis eum quies cellulae delectaret, Dei tamen iussis obtemperans, monasterium haud procul a civitate construeret, ubi plurimos sancto coepit informare proposito, factis magis quam verbis¹⁸⁾ instituens. Ipse vero ad secretum

11) rectius quam *praeceperat* B.

12) *adduxerunt* B.

13) *divina* B.

14) Cod. B. in plur.: *miserationibus*; particula *et* deest in B.

15) ante *cives* coniunctio *si* in Cod. B. reperitur.

16) *secedens* B.

17) *ita* ut B. ante *quamvis*.

18) *animas* ante, *auditorum* post *instruens* add. B.

habitaculum, quod Burgum appellabatur ab accolis, uno a Fabianis distans miliario¹⁹⁾, saepius secedebat, ut hominum declinata frequentia, quae ad eum venire consueverat, oratione continua Deo propitio²⁰⁾ inhaereret. Sed quanto solitudinem incolere cupiebat, tanto crebris²¹⁾ revelationibus movebatur, ne praesentiam suam populis denegaret afflictis. Proficiebat itaque per singulos dies eius meritum, crescebatque fama virtutum, quae longe lateque discurrens, quia²²⁾ coelestis in eo gratia signa pandebat. Nesciunt enim latere quae bona sunt, cum iuxta sententiam salvatoris, nec lucerna sub modio contegi, nec in monte posita civitas possit abscondi (Matth. 5, 15.). Inter caetera enim magnalia, quae illi Salvator indulserat, praecipuum abstinentiae munus accipiens, carnem suam plurimis subiugabat inediis, docens corpus cibis abundantioribus enutritum²³⁾ animae interitum protinus allaturum. Calciamento penitus nullo²⁴⁾ utebatur, ita medio²⁵⁾ hyeme, quae in illis regionibus saeviore gelu torpescit,

19) *Quinque*, non uno milliariis distare a Favianis oppidum illud asserit B. Hinc alius aliam computationem secutus esse videtur.

20) *protinus* B.

21) *crebrius* B.

22) *quia* deest in B.; forsan hanc ob rationem, quoniam librarius particulam istam superfluum censuit.

23) Cod. B. resolvit constructionem: *corpus, quod cibis . . . enutritur*.

24) *nullo penitus indutus* B.

25) *media* B.

nudis pedibus semper ambulare contentus, singulare patientiae dabat indicium. Ad cuius immanitatem frigoris comprobendam, testem esse constat Danubium, ita saepe glaciali nimietate concretum, ut etiam plaustis solidum transitum subministret. Qui tamen talibus per Dei gratiam virtutibus sublimatus, intima humilitate²⁶⁾ fatebatur dicens: „Ne putetis mei meriti esse quod cernitis, vestrae est potius salutis exemplum. Cesset²⁷⁾ humana temeritas, elationis supercilium comprimatur, ut aliquid boni possimus, quo²⁸⁾ eligimur, dicente Apostolo: Qui elegit nos ante constitutionem mundi, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius (Eph. 1, 4.). Orate imo²⁹⁾ pro me, ut non ad condemnationis cumulum, sed ad iustificationis augmentum Salvatoris mihi dona proficiant.“ Haec et his similia solebat proferre cum fletibus, miro erudiens homines humilitatis exemplo, cuius virtutis fundamento munitus, tanta divini numeris claritate fulgebat, ut ipsi quoque ecclesiae³⁰⁾ hostes haeretici reverendissimis eum officiis honorarent.

V. Rugorum siquidem rex, nomine Flaccithaeus¹⁾, in ipsis regni sui coepit nutare pri-

26) inepte *intima humilitatem* B.

27) Cod. B. add. *iam*.

28) *quo* om. B.

29) *imo* B. rectius quam *in me*.

30) om. B.

1) In Cod. A. semper *Flaccithaeus*. Cod. B. *Flacciteus*.
Bar.: *Flacethus*.

mordiis habens Gothos ex inferiore Pannonia vehementer infestos²⁾, quorum innumera multitudine terrebatur. Is ergo beatissimum Severinum in suis periculis tamquam coeleste consulebat oraculum. Ad quem, dum vehementius³⁾ turbaretur, adveniens, defiebat se a Gothorum principibus ad Italiam transitum postulasse, a quibus se non dubitabat, quia hoc ei denegatum fuerat, occidendum. Tunc ergo a viro Dei hoc responsum praedictus accepit: „Si nos una catholica fides annexeretur, magis me de vitae perpetuitate debuisti consulere; sed quia de praesenti tantum salute sollicitus, quae nobis est communis, interrogas, instruendus ausculta. Gothorum nec copia, nec adversitate turbaris⁴⁾, quia cito securus, eis discedentibus, tu desiderata prosperitate⁵⁾ regnabis, tantum ne humilitatis meae monita praetermittas. Non te itaque pigeat pacem appetere etiam minimorum, numquam⁶⁾ propriis virtutibus innitaris. Maledictus, inquit scriptura, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor eius (Ierem. 17, 5.). Disce igitur insidias cavere, non ponere; in lectulo quippe tuo pacifico fine transibis.“

2) *infensos* B.

3) *vehementissimus* B.

4) *futurum tempus turbaberis* B.

5) *ita* B.; rectius quam A. in accusativo *desideratam prosperitatem*.

6) ante *numquam* add. *et B*.

Qui cum tali animatus⁷⁾ oraculo laetus abscederet, perlato sibi, quod turba latrocinantium barbarorum⁸⁾ aliquos captivasset ex Rugis, virum Dei misit protinus consulendum. Qui sanctis eum mandatis, ne praedones sequeretur, Domino⁹⁾ revelante, praemonuit dicens: „Si eos secutus fueris, occideris; cave ne amnem transeas, et insidiis, quae tibi in¹⁰⁾ tribus locis paratae sunt, improvida mente succumbas; nam cito nuntius fidelis adveniet, qui te de his omnibus efficiat¹¹⁾ certiore.“ Tunc captivorum duo ab ipsis hostium sedibus fugientes, ea per ordinem retulerunt, quae beatissimus vir Christo sibi revelante praedixerat¹²⁾. Igitur frustratis insidiis adversantium, Flaccithaeus incrementis auctus prosperioribus, vitam rebus tranquilissimis terminavit.

VI. Post haec autem quidam Rugus genere per annos duodecim incredibili ossium dolore contritus, omni caruerat incolumitate membro, cuius cruciatus intolerabilis, circumquaque vicinis factus erat ipsa diurnitate notissimus. Itaque nihil proficiente diversitate remedii, tandem vidua mater ad sanctum virum vehiculo

7) *admonitus* B.

8) Cod. B. habet *et barbari*, Cod. A. melius refert *barbarorum ad latrocinantium*.

9) *sibi* add. B.

10) *in* om. B.

11) Cod. B. absolute *efficiet*.

12) In Cod. B. forma passiva: *quae a beatissimo viro . . . erant praedicta*.

filium deduxit impositum, et ante ianuam monasterii proiciens desperatum, continuatis fletibus reddi sibi unicum filium precabatur incolumem. Sed vir Dei sentiens a se magna deponci, fletu commotus aiebat: „Quid opprimor opinione fallaci? cur aestimor posse quod nequeo? Non est enim¹⁾ virtutis meae praestare tam grandia: consilium tamen do²⁾.“ Tunc mandat mulieri, ut pauperibus aliquid pro suis viribus largiretur. Illa nihil morata, veste qua induta fuerat³⁾ se velociter exuens, egentibus⁴⁾ dividere properabat. Quo audito vir Dei, fervorem eius admirans, iterum mandat, ut suis operiretur amictibus, dicens: „Cum tuus filius tecum Domino sanante perrexerit, opere vota supplebis.“ Igitur indicto paucorum dierum de more ieiunio, fuis ad Deum precibus illico sanavit infirmum, atque incolumem suis gressibus ambulantiem remisit ad propria. Qui cum postea nundinis frequentibus interesset, stupendum miraculum cunctis videntibus exhibebat; nonnulli enim dicebant: „Ecce ille qui fuerat totius⁵⁾ corporis putredine tabefactus⁶⁾“; alii autem, quod ipse esset, omnino negantibus,

1) *enim* om. B.

2) Cod. B. add.: *tamquam misericordiam consecutus a Domino.*

3) *vestem, qua induta erat* B.

4) *egenis* B.

5) *totius* om. B.

6) *fractus* B.

grata contentio nascebatur. Ex illo igitur⁷⁾ tempore, quo est reddita sanitas, desperata⁸⁾ universa Rugorum gens ad Dei famulum frequentans coepit gratulationis obsequium reddere, et opem suis postulare languoribus. De aliis etiam gentibus, ad quas tanti miraculi fama pervenerat, multi Christi militem videre cupiebant.

Qua devotione etiam ante hoc factum quidam barbari cum ad Italiam pergerent, promerendae benedictionis ad eum intuitu devererunt⁹⁾.

VII. Inter quos et Odoacer¹⁾, qui postea regnavit Italiae, vilissimo tunc habitu, iuvenis statura procerus advenerat. Qui dum se humillime²⁾ tectum cellulae suo vertice ne contingeret, inclinasset, a viro Dei gloriosum se fore cognovit. Cui etiam valedicenti: „Vade, inquit, vade, vilissimis nunc pellibus cooperus, sed multis cito plurima largiturus.“

VIII. Felethaeus¹⁾ quoque rex, qui et Feva²⁾, memorati³⁾ Flaccithaei paternam se-

7) pro *igitur* B. *enim*, non tam logice quam copulative.

8) *desperato* Cod. B. ref. ad *quo*.

9) *diverterunt* B.

1) Cod. B. scribit *Odoachar*. Bar. *Odoacar*.

2) *ne humile* B.

1) Cod. A. constanter scribit *Felethaeus*, Cod. B. *Felecteus*, Baronius *Feletheus*, Pez. *Fletheus*.

2) *Fava* B. *Feba* Baronius.

3) *filius* add. B.

cutus industriam, sanctum virum coepit pro regni sui frequentare primordiis. Hunc coniux feralis et noxia, nomine Gisa⁴⁾, semper a clementiae remediis retrahebat. Haec ergo inter caetera iniquitatis suae contagia, etiam rebaptizare quosdam est conata catholicos, sed ob Sancti reverentiam Severini, non consentiente viro, a sacrilega quantocius intentione defecit. Romanos tamen duris conditionibus aggravans⁵⁾, quosdam etiam Danubio iubebat abduci. Nam cum quadam die in proximo a Fabianis vico veniens, aliquos ad se transferri Danubio praecipisset⁶⁾, vilissimi scilicet ministerii servitute damnandos, dirigens ad eam vir Dei, ut eos dimitteret postulabat. Verum illa facibus feminei furoris exaestuans, mandata reportari iussit asperrima. „Ora, inquit, tibi serve Dei in tua cellula delitescens, liceat nobis de servis nostris ordinare quod volumus.“ Haec igitur audiens homo Dei: „Confido, inquit, in Domino Iesu Christo, quia necessitate compellitur⁷⁾ explere, quod prava voluntate desepexit. Velox itaque secuta correptio, prostravit animos arrogantis⁸⁾; quosdam enim aurifices barbaros fa-

4) *Gisa* B. videtur praefendum scripturae Cod. A. et Baronii *Giso*.

5) mendose *aggravat* B.

6) *praecessisset* A.

7) Cod. B. habet *compelletur*.

8) *animum prostravit arrogantis* B.; *animos* sc. multiplices potentias animi.

bricandis⁹⁾ regalibus ornamentis clauserat arcta custodia. Ad hos filius memorati regis admodum parvulus, nomine Fridericus, eodem die quo regina servum Dei contempserat, puerili motu concitus introivit. Tunc aurifices infantis pectori gladium posuere¹⁰⁾ dicentes, quod si quis ad eos absque iuramenti praesidio¹¹⁾ ingredi conaretur, parvulum regium primitus transfigentes¹²⁾ semetipsos postea trucidarent; quippe cum sibi nullam spem¹³⁾ promitterent, macerati diuturnis ergastulis. His auditis regina crudelis et impia, vestibus dolore concisissis, talia clamitabat¹⁴⁾: „O serve¹⁵⁾ Domini, Severine, sic¹⁶⁾ a Deo tuo illatae vindicabuntur¹⁷⁾ iniuriae? Hanc mei contemptus¹⁸⁾ ultionem effusis precibus postulasti, ut in mea viscera vindicares?“ Itaque multiplici contritione ac miserabili lamentatione discurrens ferebatur se pro scelere contemptus, quod in servum Dei commiserat, plagae praesentis ultione

9) Dativus commodi, hinc praeposito *pro*, quam add. Cod. B. non est necessaria.

10) *imposuere* B.

11) *prae*fixo B.

12) *transfigerent et* B.

13) *vitae* add. B.

14) *clamabat* B.

15) *servi* lapsus calami in Cod. A.

16) *sic* Cod. B.; *sicut* Cod. A. quod non convenit sequentibus. Baronius: *si sic illatae a Deo vindicantur iniuriae?*

17) *vindicantur* B.

18) *obtentus* B.

percelli, confestimque directis equitibus veniam petitura, et Romanos, quos eadem¹⁹⁾ die tulerat, pro quibus et²⁰⁾ rogantem contempserat, retransmisit²¹⁾; et aurifices protinus accipientes sacramentum, ac dimittentes infantulum, pariter et ipsi dimissi sunt. His auditis reverendissimus Christi servus, gratias creatori refererebat immensas, qui ob hoc interdum differt vota poscentium²²⁾, ut fide, spe et caritate crescente, dum minora petuntur, maiora concedat²³⁾. Id namque egit omnipotentia²⁴⁾ Salvatoris, ut dum liberos saeva mulier subiicit²⁵⁾ servituti, serviens²⁶⁾ cogeretur reddere libertati. Quibus mirabiliter impetratis, regina statim ad servum Dei properans cum marito, monstrans²⁷⁾ filium, quem fatebatur illius orationibus de mortis confinio liberatum, promittens se nequaquam ultra eius²⁸⁾ iussionibus obviare.

IX. Magna quoque Dei famulo prophetiae gratia praedito, in redimendis erat captivis¹⁾ industria. Studiosius etenim insistebat barba-

19) *ea* B.

20) absque particula *et* in Cod. B.

21) *transmisit* B.

22) *petentium* B.

23) lectio Cod. B. substituta pro: *dum miro patitur maiora concedat*, in Cod. A.

24) *egit virtus omnipotentis ac salvatoris* B.

25) *subiicit* B.

26) *servientes* legit Baronius.

27) *monstrat* B.

28) *eius* post *promittens se* in Cod. B.

1) *ex* addit mendose A.

rorum, ditione vexatos genuinae restituere libertati. Interea cuidam cum coniuge liberisque redempto, praecepit transvadere Danubium, ut hominem ignotum in nudinis quaerere barbarorum, quem in tantum divina revelatione didicerat, ut etiam signa staturae, capillorumque colorem, vultus eius ac vestis habitus indicaret, et in qua parte nudinarum reperturus eum foret ostenderet, addens, ut quidquid reperta ei diceret persona, reversus sibi maturius intimaret. Profectus itaque, cuncta, sicut vir Dei praedixerat, miratus invenit, Is igitur²⁾ ab eodem homine, quam reperisse se mirabatur interrogatus audivit dicentem³⁾: „Putasne possum invenire hominem, qui me ad virum Dei, cuius ubique fama diffunditur, qua voluerit mercede perducatur? Diu est enim quod ipsos sanctos Martyres, quorum reliquias fero, suppliciter interpello, ut a⁴⁾ tali ministerio tandem aliquando solvar indignus, quod usque nunc temeraria praesumptione, sed religiosa necessitate sustinui.“ Tunc nuntius hominis Dei eius se⁵⁾ aspectibus praesentavit, qui debito sanctorum Gervasii et Protasii Martyrum reliquias honore suscipiens, in basilica, quam in monasterio construxerat, collocavit officio

2) *ergo* B.

3) *dicente* B., eodem iure, referenda enim haec vox ad praecedentem ablativum *eodem*.

4) *a om.* B.

5) loco *se* habet *illum* B.

sacerdotum. Quo loco⁶⁾ Martyrum congregavit sanctuaria plurimorum, quae tamen praeeunte semper revelatione promeruit, sciens adversarium saepe surripere⁷⁾ sub nomine sanctitatis.

Episcopatus quoque honorem ut susciperet postulatus, praefinita responsione conclusit, sufficere sibi dicens, quod solitudine desiderata privatus, ad illam divinitus venisset provinciam, ut turbis tribulantium frequentibus interesset. Daturus nihilominus monachis formam, sollicitus⁸⁾ admonebat beatorum Patrum vestigiis inhaerere, quibus sanctae conversationis acquireret instructio, adhibendamque operam, ne is qui parentes reliquit et seculum et⁹⁾ pompae secularis illecebras retrorsum respiciendo cuperet quas vitaverat, et ad¹⁰⁾ hoc uxoris Loth exemplum terribile proponebat. Memorabatur¹¹⁾ etiam timore Domini mortificanda esse incentiva libidinum, nec aliter superanda corporeae¹²⁾ delectationis asserebat¹³⁾ incendia, nisi fuissent per Dei gratiam lacrymarum fonte restincta.

X. Quidam vero, nomine Maurus, basilicae

6) *quo in loco* B.

7) *subrepere* B.

8) *sollicitior* B.

9) *et excidit in* B.

10) *ad hoc* finaliter; *ob hoc* B., causaliter.

11) *memorabat* B.

12) *corporalis* B.

13) *asseruit* B.

monasterii fuit aedituus, quem B. Severinus redemerat e manibus barbarorum. Huic quadam die praecepit vir Dei dicens: „Cave ne hodie digrediaris¹⁾ alicubi; alioquin imminenti periculo non carebis.“ Hic ergo contra praeceptum tanti patris, secularis cuiusdam hominis persuasum, meridie ad colligenda poma in secundo a Fabianis milliario egressus, mox a barbaris Danubio transvectus est cum suo persuasore captivus. In illa hora vir Dei, dum in²⁾ cellula legeret, clauso repente codice: „Maurum, ait, cito requirite.“ Quo nusquam reperto, ipse quantocius Istri fluentia praetermeans, latrones properantes³⁾ insequitur, quos vulgus Scameras⁴⁾ appellabat. Cuius venerandam praesentiam non ferentes, supplices quos ceperant reddidere captivos⁵⁾.

XI. Dum¹⁾ adhuc Norici Ripensis oppida superiora constarent, et pene nullum castellum barbarorum vitaret incursus, tam celeberrima S. Severini flagrabat opinio, ut certatim eum ad se castella singula pro suis munitionibus invitarent, credentes quod eius praesentia nihil eis adversi eveniret. Quod non sine

1) *transgrediaris* B.

2) *in om.* B.

3) *adverbialiter properanter* B.

4) *Scamaros* B.

5) Codex A. ad marginem exhibet argumentum sequentis capituli, verum verba eiusdem manca sunt; reperitur enim in pergamento lacinia.

1) *Cum* B.

nutu²⁾ divini muneris agebatur, ut omnes eius monitis, quasi coelestibus terrentur oraculis, exemploque illius bonis operibus armarentur³⁾. In castellum quoque, cui erat Cucullis vocabulum, devotionibus accolarum vir sanctus advenerat evocatus⁴⁾, ubi factum grande miraculum nequeo reticere: quod tamen Marciani⁵⁾ post presbyteri nostri, cuius eiusdem loci, stupenda⁶⁾ relatione cognovimus. Pars⁷⁾ plebis in quodam loco nefandis sacrificiis inhaerebat. Quo sacrilegio comperto vir Dei, multis plebem sermonibus allocutus, ieiunium triduanum per presbyteros⁸⁾ loci persuasit⁹⁾ iudici, ac per singulas domos cereos afferri¹⁰⁾ praecepit, quos propria manu quisque¹¹⁾ parietibus affixit ecclesiae. Tunc psalterio ex more decurso, ad horam sacrificii presbyteros et diacones¹²⁾ vir Dei hortatus¹³⁾ est, tota cordis claritate¹⁴⁾ se-

2) *gratia* B.

3) *erudirentur* B.

4) *venerat advocatus* B.

5) *Maïoriani* legit Baronius; et pro cuius — *civis eiusdem loci*, quae tamen emendatio mihi superflua videtur.

6) *miracula* add. *perperam* B.

7) *igitur* interserit B.

8) *presbyterium* B.

9) *suasit* B.

10) *afferre* B. *offerri* Baronius.

11) *propria manu* dedi cum Cod. B., quoniam scriptura Cod. A. *propria manu* procul dubio mendosa est.

12) *in singulari* B.

13) *adhortatus* B.

14) *alacritate* B.

cum communem Dominum deprecari, quatenus ad sacrilegos discernendos lumen suae cognitionis ostenderet. Itaque cum multa¹⁵⁾ largissimis fletibus cum eis¹⁶⁾ fixis genibus¹⁷⁾ precaretur, pars maxima cereorum, quos fideles attulerant, subito est accensa divinitus, reliqua vero eorum, qui praedictis sacrilegiis infecti fuerant, volentesque latere negaverant, inaccensa permansit. Tunc ergo, qui eos posuerant divino declarari examine, protinus exclamantes secreta pectoris satisfactionibus prodiderunt, et suorum testimonio cereorum et¹⁸⁾ manifesta confessione convicti¹⁹⁾ propria sacrilegia testabantur. O clemens potentia Creatoris! cereos animosque flammantis²⁰⁾, accensus est²¹⁾ ignis, in cereis refulsit et in sensibus! Visibilis lux naturam cerae liquabat²²⁾ in flammis, ac invisibilis corda fatentium²³⁾ solvebat in lacrymas. Quis credat amplius eos, quos sacrilegus error involverat, postea claruisse bonis operibus, quam eos quorum cerei fuerant accensi divinitus?

15) *multis* B.

16) loco *cum eis*, habet *cumque* B. haec discrepantia explicatur ex praecedenti ablativo *multis*.

17) forsam legendum *flexis genibus*.

18) *et deest* in B.

19) *cuncti* B. Cf. II. nota 5.

20) *inflammans* B. ref. ad *potentia*.

21) *est* om. B.

22) *visibilis lux liquabat ceras* B.

23) *fatentium* B.

XII. Alio rursus tempore in finibus eiusdem castelli, locustae frugum consumptrices copiose insederant, noxiis morsibus cuncta vastantes. Tali ergo peste percussis mox presbyteri ceterique mansores S. Severinum summis precibus adierunt, dicentes: „Ut tantae plagae auferatur atrocitas, orationum tuarum experta suffragia postulamus, quae magno dudum miraculo in accensis coelitus¹⁾ cereis multum apud Dominum valere conspeximus.“ Quos ipse²⁾ religiosius allocutus: „Non legistis, ait, quid auctoritas divina peccanti populo praeceperit per prophetam³⁾. Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et fletu?“ et post pauca: „Sanctificate, inquit, ieiunium, vocate coetum, congregate ecclesiam⁴⁾, et caetera quae sequuntur (Ioel. 2, 12. 15.). Explete itaque⁵⁾ dignis operibus, quae docetis, ut malitiam facile praesentis temporis evadatis: nullus sane ad agrum exeat, quasi humana sollicitudine locustas vetiturus, ne divina amplius indignatio provocetur.“ Nec mora⁶⁾, omnibus in ecclesiam congregatis, unusquisque in ordine suo

1) *coelitus* om. B.

2) *ille* B.

3) B. addit: *dicens*.

4) uberius adducit locum biblicum B.: „congregate populum, sanctificate ecclesiam.“

5) *Haec explete, ut dignis operibus malitiam praesentis temporis facile evadatis: nullus a me ad agrum exeat* etc. B.

6) *ergo* add. B.

psallebat ex more. Omnis aetas et sexus, quae etiam voce non poterat, precem Deo fletibus offerebat, eleemosynae fieri non cessabant, quidquid bonorum operum praesens necessitas exigebat, sicut Dei famulus praeceperat, implebatur. Omnibus igitur⁷⁾ huiusmodi studiis occupatis, quidam pauperrimus opus Dei coeptum deserens, ad agrum propriae segetis invisendi⁸⁾ causa, quae perparva inter aliorum sata iacebat, egressus est, totoque⁹⁾ anxius die locustarum nubem impendentem qua potuit exturbavit industria, moxque ecclesia¹⁰⁾ communicaturus intravit; sed segetem eius exiguam, multis vicinorum circumdatam frugibus, locustarum densitas devoravit. Quibus ea nocte ab illis finibus exterminatis¹¹⁾ imperio divino, probatum est, quanti¹²⁾ valeat fidelis oratio. Mane¹³⁾ quippe sancti operis temerator atque contemptor, rursus ad agrum suum male securus egrediens, eum locustarum sub¹⁴⁾ pernicie funditus invenit abrasum, et omnium circumquaque sationes integras vehementer admirans,

7) ergo B.

8) invisendae B.

9) totaque B.

10) ecclesiam B. Utraque lectio idoneum constituit sensum, aut enim de communione mystica aut de reali corporis Christi cogitari potest.

11) exterritis B.

12) quantum B.

13) Manne A.

14) sub om. B.

ad castellum luctuosa¹⁵⁾ vociferatione revertitur; cumque id, quod acciderat, indicasset, ad huiusmodi videndum cuncti exierunt miraculum, ubi quasi ad lineam regularem contumacis hominis segetem locustarum morsus ostenderant. Tunc omnium vestigiis provolutus, intercessionibus eorum delicti sui veniam fusa lamentatione poscebat. Ob quam rem monendi occasionem homo Dei reperiens, docebat universos ut omnipotenti Domino discerent obedire, cuius imperiis obtemperant et locustae. Pauper vero praedictus febiliter allegabat, posse se mandatis obedire de cetero, si ulla sibi¹⁶⁾ spes, qua viveret, sibi remansisset. Tunc ergo vir Dei ceteros allocutus: „Iustum est, inquit, ut qui proprio supplicio humilitatis vobis et obedientiae dedit exemplum, liberalitate vestrae anni praesentis alimenta percipiat.“ Collatione itaque fidelium et¹⁷⁾ correptus homo pauperrimus et ditatus, didicit, quantum dispendii incredulitas inferat, quantum¹⁸⁾ beneficii sui¹⁹⁾ cultoribus conferat divina²⁰⁾ largitio.

XIII. Item iuxta oppidum quod Iuvao¹⁾ appellabatur²⁾, cum quadam die intrantes ba-

15) lamentosa B.

16) sibi om. B.

17) et om. B.

18) quantumque B.

19) suis B.

20) divina conferat transponit B.

1) Iuba B. Iuvavo Pez.

2) praesens histor. appellatur B.

silicam aestatis tempore, solemnitatem vespere reddituri, ad accendenda luminaria ignem minime reperissent, flammam concussis ex more lapidibus elicere nequiverunt, in tantum alterutra ferri ac petrae collisione tardantes, ut tempus vespertinae solemnitatis efflueret. At vir Dei genibus humi fixis orabat attentius. Mox igitur in conspectu trium spiritalium³⁾, qui aderant tunc, virorum cereus, quem manu idem⁴⁾ sanctus Severinus tenebat, accensus est. Quo lucente, sacrificio vespertini temporis ex more suppleto, gratiae Deo referuntur in omnibus. Quod factum, licet memoratos⁵⁾, qui huic interfuere miraculo, celare voluerit, sicut⁶⁾ multa magnalia, quae per illum divinis sunt effectibus celebrata: claritas tamen tantae virtutis occultari non potuit, sed ad magnam ceteros fidem excellenter accendit.

XIV. Accidit etiam eiusdem loci quamdam mulierem diutino¹⁾ languore vexatam iacere seminecem, exequiis iam paratis; cuius proximi moesto silentio voces funereas quodam fidei clamore presserunt, et ante ostium cellulae sancti viri corpus iam pene exanime depo-

3) *spiritalium* B. ut saepius.

4) *idem* ante *manu* B.

5) *licet vir memoratus hos qui* etc. B. In Cod. A. voci *memoratos* addita legitur emendatio vel potius depravatio *memoratis*.

6) post *sicut* interserit *et* B.

1) *diuturno* B., forma magis usitata.

suere languentis²⁾. Videns itaque³⁾ homo Dei clausum aditum oppositione lectuli, ait ad eos: „Quidnam est quod facere voluistis?“ Responderunt: „Ut oratione tua vitae reddatur exanimis.“ Tunc lacrymabundus⁴⁾: „Quid, inquit, a parvo magna deposcitis? agnosco me⁵⁾ prorsus indignum, utinam merear veniam pro meis invenire peccatis.“ Et illi: „Credimus, inquit, quod si pro ea⁶⁾ oraveris, reviviscet⁷⁾.“ Tunc S. Severinus fuis illico lacrymis, in oratione prostratus est, et muliere protinus assurgente⁸⁾, allocutus est eos dicens⁹⁾: „Nolite quidquam horum meis operibus applicare, hanc enim gratiam fidei vestrae fervor emeruit; et hoc fit in multis locis et gentibus, ut cognoscatur quod unus sit Deus, faciens in coelo et in terra prodigia, excitans perditos in salutem et mortuos vitae restituens.“ Mulier vero sanitate percepta, opus agrale die tertio iuxta morem provinciae propriis coepit manibus exercere.

XV. Quintanis appellabatur locus¹⁾, foe-

2) *languentis* om. B.

3) *ergo* B.

4) uberius explanans B. habet: *tunc ipse lacrymabundus exclamans* ait etc.

5) *cognosco me* B.

6) *pro ea* om. B.

7) praesens histor. *reviviscit* B.

8) *ressurgente* B.

9) *dicens* om. B.

1) *locus* om. B.

cundarum²⁾ municipium Rhaetiarum, super Ripam Danubii situs³⁾, huic ex alia parte parvus fluuius, cui Businca nomen est⁴⁾, propinquabat. Is crebra inundatione Danubii superfluentis excrescens, nonnulla castelli spatia, quia in plano fundatum fuerat⁵⁾, occupabat, ecclesiam etiam loci eius mansores extra muros ex lignis habuere constructam, quae pendula extensione porrecta, defixis in altum stipitibus sustentabatur et surculis, cui ad vicem soli tabularum erat laevigata coniunctio, quam quotiens⁶⁾ ripa excessisset, aqua superfluens occupabat. Quintanensium itaque fide S. Severinus illuc fuerat invitatus, ubi cum tempore siccitatis venisset, interrogabat⁷⁾ cur tabulata nudatis obstaculorum tegminibus apparerent? Accolae responderunt, quod frequenti fluminis alluvione quidquid fuisset superstratum continuo laberetur. At ipse: „Sternatur, inquit, tabulatis nunc in Christo nomine pavementum⁸⁾, iam videbitis amodo fluvium coelesti iussione prohibitum.“ Pavimento itaque perfecto, ipse sup̄ navi

2) *secundarum* B. eodem scil. sensu, quo altera Cod. A. scriptura.

3) lapsus calami *situm* in A.

4) breuius: *fluuius*, *Businca* nomine, B. Baronius: *Bunsica*.

5) *erat* B.

6) forma modernior *quoties* B.

7) praesens histor. *interrogat* B.

8) *super tabulata in Christi nomine nunc pavementum*, nam etc. B.

descendens, accepta securi⁹⁾, postes facta oratione percussit, atque ad aquam fluminis venerandae crucis expresso signaculo dixit: „Non te sinit¹⁰⁾ Dominus meus Iesus Christus hoc signum crucis excedere.“ Ex illo itaque tempore, cum ex more fluuius crevisset in cumulos, ambissetque viciniam quam solebat, ita spatiis ecclesiae erat inferior¹¹⁾, ut numquam sancti patibuli signaculum, quod impresserat homo Dei, prorsus excederet.

XVI. Accidit autem, ut castelli presbyter memorati admodum venerabilis, Silvinus nomine, moreretur; et cum in ecclesia feretroposito noctem psallentes duxissent ex more pervigilem, iam clarescente¹⁾ diluculo, rogavit vir Dei fessos presbyteros et diaconos universos parumper abscedere, ut post laborem vigiliarum somno se aliquantulum recrearent. Quibus egressis, homo Dei ostiarium, Maternum nomine, interrogat, utrum omnes, ut dixerant²⁾, abscessissent. At illo respondente cunctos abiisse: „Nequaquam, ait, sed latet hic quaedam³⁾.“ Tunc ianitor ecclesiae septa secundo

9) transpositio in B.: *ipse vir Dei, accepta securi subter descendens, postes facta oratione* etc.

10) *sinit* B.

11) *inferius* A.; *fefellisse* enim videtur scribentem exitus vocis *fluuius*.

1) *crecente* B.

2) in singulari *ut dixerat* B.

3) *quidam* B.

perlustrans nullum intra ea⁴⁾ mansisse testatur. Verum Christi miles Domino⁵⁾ revelante: „Nescio quis, ait, hic delitescit.“ Tertio itaque diligentius perscrutans, quamdam invenit virginem consecratam, locis se occultioribus abdidisse; hanc ergo⁶⁾ memoratus sic increpavit aedituus: „Cur isthic⁷⁾ famulo Deiposito tuam credideris⁸⁾ potuisse latere praesentiam?“ At illa: „Pietatis, inquit, me amor talia facere persuasit; videns enim cunctos foras expelli, cogitavi⁹⁾ mecum, quod servus Christi invocata divina maiestate praesentem mortuum suscitaret. Exeunte igitur memorata virgine; homo Dei cum presbytero, et diacono ianitoribusque duobus in oratione curvatus oravit¹⁰⁾ fletu largissimo, ut opus solitae maiestatis supernae¹¹⁾ virtus ostenderet. Tunc orationem complente presbytero¹²⁾, ita cadaver vir beatus alloquitur: „In nomine Domini nostri Iesu Christi, sancte presbyter Silvine, loquere cum fratribus tuis.“ At ubi oculos defunctus aperuit¹³⁾,

4) *eam* B.5) *sibi* add. B.6) *quam ergo* B.7) *mendose istius* A.8) *credidisti* B.9) *putavi* B.10) *postulavit* B.11) *divina* B.12) *oratione completa a presbytero* B.13) Alia structura gramm. efficitur ex lectione Cod. B. qui habet *et subito oculos defunctus aperuit. Vix* etc.

vix¹⁴⁾ praesentibus homo Dei tacere prae gaudio persuasit, et denuo ad eum: „Vis, inquit, ut¹⁵⁾ rogemus Dominum, ut te adhuc servis suis in hac vita condonare dignetur?“ At ille ait: „Per Dominum te coniuro, ne diutius hic teneat, et frauder quiete perpetua, in qua me esse¹⁶⁾ cernebam.“ Statimque reddita oratione quievit exanimis. Hoc autem factum S. Severini adiuratione ita celatum est, ut ante mortem eius non potuisset agnosci; ego tamen haec, quae retuli, Marci subdiaconi et Materni ianitoris relatione cognovi. Nam presbyter et diaconus tanti testes miraculi, ante sanctum virum, cui iuraverant nulli se quod viderant prodituros, obisse noscuntur.“

XVII. Talibus igitur B. Severinus per Christi gratiam opulentus muneribus, captivorum etiam egenorumque tantam curam ingenua sibi pietate susceperat, ut paene omnes per universa oppida vel castella pauperes ipsius industria pascerentur: quibus tam laeta sollicitudine ministrabat, ut tunc se crederet tantummodo saturari, vel abundare bonis omnibus, quando videbat egentium corpora sustentari. Et cum¹⁾ hebdomadarum continuatis ieiuniis minime frangeretur, tamen esurie miserorum se credebatur afflictum. Cuius largitionem tam piam in pau-

14) *vero interserit* B.15) *ut om.* B.16) *post esse* B. add. *iam*.1) *post cum* add. *ipse* B.

peres plurimi contemplantes, quamvis ex duro barbarorum imperio famis angustiam²⁾ sustinerent, devotissime³⁾ frugum suarum decimas pauperibus impendebant. Quod mandatum licet cunctis ex lege notissimum⁴⁾, tamen quasi ex ore Angeli praesentis audirent, gratiam devotione servabant. Frigus quoque vir Dei tantum in nuditate pauperum sentiebat: siquidem specialiter a Deo perceperat, ut in frigidissima regione, mirabili abstinentia castigatus, fortis et alacer permaneret. Pro decimis autem, ut diximus, dandis, quibus pauperes alerentur, Norici quoque populos⁵⁾ missis exhortabatur epistolis. Ex qua consuetudine cum nonnullam ad eum erogandarum vestium copiam direxissent, interrogavit eos qui venerant, si ex oppido⁶⁾ quoque Tiburniae similis collatio mitteretur? Respondentibus etiam inde protinus affuturos; vir Dei nequaquam eos venire signavit, sed dilatam eorum oblationem praedixit barbaris offerendam. Itaque non multo post cives Tiburniae⁷⁾ dimicantes, vix initi⁸⁾ foederis pactione, inter caetera etiam largitionem, iam

2) *angustias* B.

3) *tamen* add. B.

4) post *notissimum* add. *sit* B.

5) *presbyteros* B.

6) *civitate* B.

7) Cod. B. add.: *vario cum obsidentibus Gothis certamine dimicantes.*

8) *inita* B.

in unum collatam⁹⁾, quam mittere famulo Dei distulerant, hostibus¹⁰⁾ obtulerunt.

XVIII. Cives quoque ex oppido Lauriaco, crebra quondam S. Severini exhortatione commoniti, frugum decimas pauperibus offerre distulerant. Quibus fame constrictis, iam maturitate messium flavescente vicina subsidia monstrabantur. At ubi rubiginis improvisa¹⁾ corruptio frugibus nocitura comparuit, mox ad ipsum convenere prostrati, poenas suae contumaciae confitentes. Miles vero Christi fessos verbis spiritualibus allevabat dicens: „Si decimas obtulissetis pauperibus, non solum aeterna mercede frueremini, verum etiam commode possetis abundare praesentibus. Sed quia culpam confessione propria castigatis, de Domini pietate polliceor, quod rubigo praesens tam valida²⁾ penitus non nocebit; tantum fides vestra ulterius non vacillet.“ Verum cives ad persolvendas ex illa die decimas promissio³⁾ reddidit promptiores. Tunc, ut solebat, hortatus est indici ieiunium; quo expleto, placidus imber desperatae messis amputavit incommoda.

XIX. Batavis¹⁾ appellatur oppidum, inter utraque flumina, Oenum²⁾ videlicet atque Da-

9) *perperam collata* A.

10) *ut praedixerat* add. B.

1) *improvisae* inepte B.

2) *valide* B.

3) ante *promissio* B. habet demonstrativum *haec*.

1) *Patavis* scribit B.

2) *mendose Renum* A. Bar* *Henum*.

nubium constitutum, ubi B. Severinus cellulam paucis monachis³⁾ solito more fundaverat; eo quod ipse illuc saepius rogatus a civibus adveniret, maxime propter Alamannorum incursum assiduos, quorum rex Gibuldus summa eum reverentia diligebat. Qui etiam quodam tempore ad eum videndum desideranter occurrit, cui Sanctus obviam, ne attentu suo eandem civitatem⁴⁾ praegravaret, egressus est, tantaque constantia regem allocutus est, ut tremere coram eo vehementius coeperit, secedensque⁵⁾ suis exercitibus indicavit, numquam semet in re bellica⁶⁾ tanto tremore fuisse concussum. Cumque Dei famulo daret optionem imperandi⁷⁾ quae vellet; rogavit doctor piissimus, ut sibi potius praestaturus, gentem suam a Romana vastatione cohiberet, et captivos, quos sui tenerant, gratanter absolveret. Tum rex constituit⁸⁾, ut ex suis aliquem dirigeret, ad opus⁹⁾ maturius exequendum; statimque missus Amanthus diaconus e vestigio regem subsequitur, eiusque pro foribus excubans, multis diebus non potuit nuntiare. Cui, pro re qua¹⁰⁾ directus

3) *monachis* deest in B.

4) *ne adventu suo eam civitatem* etc. B.

5) *sed et postea* etc. B.

6) *simplicius* quam B., qui habet: *numquam se nec re bellica nec aliqua formidine, tanto tremore* etc.

7) *impetrandi* B.

8) *tunc rex constituerat* B.

9) *inter ad et opus interserit id* B.

10) *cui re pro qua* B.

fuerat, non peracta, tristissimo revertenti apparuit quidam, effigiem Sancti praefereus Severini, qui eum minaci compellatione¹¹⁾ perterritum sequi se iussit. Cumque pavens et¹²⁾ concitus sequeretur, pervenit ad ianuam regis, statimque dux ille praevious ex oculis mirantibus¹³⁾ evanuit. Verum regis internuntius diaconum, unde esset vel¹⁴⁾ quid speraret, interrogat. Ille rem breviter insinuans, oblatis regi, receptisque remeavit epistolis. Dimissus igitur, revexit fere septuaginta captivos, insuper promissionem regis gratam deferens, qua sponndit se, cum diligenter provinciam peragraverit, remissurum, quantus¹⁵⁾ in eadem reperturus fuisset numerus¹⁶⁾ captivorum. Pro qua re postmodum S. Lucillus presbyter destinatus, magnam miserorum copiam a¹⁷⁾ captivitate revocavit.

XX. Per id tempus, quo Romanum constat imperium, multorum milites oppidorum pro custodia limitis publicis stipendiis alebantur. Qua consuetudine desinente, simul militares turmae sunt deletae; cum limite Batabino¹⁾ utcumque, numero perdurante, ex quo porrexe-

11) *appellatione* B.

12) *atque* B.

13) *mirantis* B.

14) *loco vel* B. et.

15) *quantos* B. relate ad *numeros*.

16) *numeros* B.

17) *ex* B.

1) Conf. I. not. 2.

rant²⁾ quidam ad Italiam, extremum stipendium commilitonibus allaturi, quos in itinere peremptos a barbaris nullus agnoverat. Quadam ergo die, dum in sua cellula legeret S. Severinus, subito clauso codice, cum magno coepit lacrymare suspirio, astantes³⁾ iussit ad fluvium properanter excurrere, quia⁴⁾ in illa hora humanum firmabat cruorem⁵⁾ respergi, statimque nuntiatum est, corpora praefatorum militum fluminis impetu ad terram fuisse delata.

XXI. Paulinus quidam presbyter ad S. Severinum fama eius excurrente¹⁾ pervenerat; hic in consortio beati viri diebus aliquot remoratus, cum redire vellet, audivit ab eo: „Venerabilis presbyter festina, quia cito dilectionem tuam, populorum desideriis, ut credimus, obluctantem, dignitas episcopatus ornabit.“ Moxque²⁾ remeante ad patriam, sermo in eum³⁾ praedicentis impletus est. Nam cives Tiburniae, quae est metropolis Norici, coegerunt praedictum virum summi sacerdotii suscipere principatum.

XXII. Basilicae extra muros oppidi Bata-vini, in loco nomine Boiotro¹⁾ trans Haenum²⁾

2) *ex eo perrexerunt* B.

3) B. *interserit iuvenis.*

4) *quem* B.

5) *humano cruore* B.

1) *latius percurrente* B.

2) *mox* B.

3) *in eo* B.

1) *Boitro* B. Baron.: *Boiothro.*

2) sine dubio *Oenum*, uti B.

fluvium constitutae, ubi cellulam paucis monachis ipse construxerat, Martyrum reliquiae quae rebantur. Ingerentibus ergo se presbyteris ut mitterentur ad sanctuaria deferenda, haec B. Severinus monita praeferebat³⁾: „Quamvis cuncta mortalium opere constructa praeter-eant⁴⁾, haec tamen aedificia prae caeteris celerissime relinquenda sunt; video⁵⁾ pro reliquiis Sanctorum nullum laborem debere suscipere, quia ultro S. Ioannis eis benedictio deferetur.“ Interea beatum virum cives oppidi memorati suppliciter adierunt, ut pergens⁶⁾ ad Fabianam⁷⁾, Rugorum principem, mercandi ei licentiam postularet. Quibus ipse: „Tempus, inquit, huius oppidi propinquavit⁸⁾, ut desertum, sicut caetera superiora⁹⁾ castella cultore destituta¹⁰⁾ remaneat. Quid ergo necesse est locis mercimonia providere, ubi ultra non poterit apparere mercator?“ Respondentibus illis, non se debere contemni, sed consueto sublevari regimine; quidam presbyter haec diabolico spiritu repletus adiecit: „Perge, quaeso, Sancte, perge velociter, ut tuo discessu parumper a ie-

3) *proferebat* B.

4) *pereant* B.

5) *et ideo* B.

6) *ut pergeret* B.

7) Litera *i* rasa in Cod. A. fors idem, qui Fava v. Feva nominatur.

8) *appropinquavit* B.

9) *priora* B.

10) *destituta* A.

iuniis et vigiliis quiescamus.“ Quo dicto, vir Dei lacrymis urgebatur ingentibus, quod in ridiculam vanitatem cunctis audientibus sacerdos eruperit¹¹⁾. Aperta namque scurrilitas latentium est testificatio delictorum. Sanctus itaque vir, cur ita fleret interrogatus a fratribus: „Video, inquit, plagam gravissimam nobis absentibus huic loco protinus eventuram; ut¹²⁾ Christi sacraria (quod¹³⁾ sine gemitu cogor exprimere) humano sanguine redundabunt, in tantum, ut etiam locus iste violandus sit, nam in baptisterio loquebatur¹⁴⁾. Ad antiquum itaque et omnibus maius monasterium suum, iuxta muros oppidi Fabianis, quod centum et ultra millibus aberat, Danubii navigatione descendit¹⁵⁾. Mox igitur eo descendente¹⁶⁾ Hunimundus¹⁷⁾ paucis barbaris comitatus, oppidum, ut Sanctus praedixerat, Batavis invasit; ac pene cunctis mansoribus in messe detentis, quadraginta viros oppidi, qui ad custodiam remanserant, interemit. Presbyterum quoque illum, qui tam sacrilega¹⁸⁾ contra famulum Christi in baptisterio fuerat elocutus, ad eundem locum confugien-

11) *eruperat* B.

12) *et* B.

13) *quod non sine gemitu* B. videtur magis quadrare in sensum et dispositionem animi loquentis.

14) *loquebantur* B.

15) *navigationibus descendebat* B.

16) *discedente* B.

17) *Hunimundus* B. *Hunimundus* Baronius.

18) *sacrilege* B.

tem, insequentes barbari peremerunt. Frustra enim illuc offenso Deo veritatis inimicus accessit, ubi tam imprudenter excesserat.

XXIII. Igitur sanctus¹⁾ Severinus dum in monasterio Fabianis evangelium legeret, oratione suppleta²⁾ consurgens, scapham sibi illico iubet praeparari, et mirantibus³⁾ ait: „Sit nomen Domini benedictum, sanctuariis⁴⁾ sanctorum Martyrum oportet nos occurrere.“ Nec mora: transmeato Danubio⁵⁾ inveniunt hominem eos precibus postulantem, ut ad servum Dei, ad quem fama vulgante olim venire cuperet, duceretur. Mox itaque ei Christi famulo⁶⁾ demonstrato, suppliciter S. Ioannis Baptistae reliquias obtulit, multis apud se servatas temporibus. Quas Dei servus debita veneratione suscipiens, basilicam S. Ioannis, sicut praedixerat, ultronea benedictione collata, sacravit officio sacerdotum.

XXIV. Ad habitatores praeterea oppidi, quod Ioviaco¹⁾ vocabatur, viginti²⁾ et amplius a Batavis millibus disparatum, solita vir Dei revelatione commonitus, Moderatum nomine,

1) *sanctissimus* B.

2) *completa* B.

3) post *mirantibus* interserit B. *his qui aderant*.

4) loco *sanctuariis* habet B. *reliquiis*.

5) *transmeant Danubium* B.

6) *servo* B.

1) *Iopia* B. *Iobiaco* Bar.

2) Cod. B. legit *septuaginta*.

cantorem ecclesiae destinavit, praecipiens ut habitationem loci illius omnes sine cunctatione relinquerent, mox enim perituros fore si contemnerent imperata. Aliis ergo de tanto praesagio dubitantibus, aliis non credentibus prorsus, iterum misit Quintasium quemdam, cui et³⁾ lacrymans ait: „Perge velocius, denuncians ei, si hac ibidem nocte manserint⁴⁾, sine dilatione capientur.“ Sanctum quoque Maximianum⁵⁾ spiritualis vitae presbyterum instantius imperat admoneri, ut saltem ipse contemptoribus derelictis properaret⁶⁾ coelesti misericordia liberari; de quo sibi Dei famulus magnam dicebat inesse moestitiam, ne forte salutiferum differendo mandatum, imminenti subiaceret exitio. Praedictus itaque pergens imperata supplevit, et reliquis incredulitate nutantibus, nuntius viri Dei presbytero renitenti se, atque hospitalitatis gratiam praebere⁷⁾ cupienti nullatenus acquievit. Qua nocte Heruli insperate protinus irruentes, oppidumque vastantes plurimos duxere captivos, presbyterum⁸⁾ memoratum patibulo suspendentes⁹⁾. Quo audito servus Dei graviter doluit praemonitos¹⁰⁾ non curasse.

3) *et deest in B.*

4) *si in hac nocte remanserint B.*

5) *Maximum B. Maximinum Baron.*

6) *post properaret add. B. praepositionem a.*

7) *hospitalitatem praebere B.*

8) *post presbyterum interserit B. vero.*

9) *suspenderunt B.*

10) *praemonitus mendose B.*

XXV. Deinde quidam de Norico, Maximus¹⁾ nomine, servum Dei frequentare solitus²⁾ cum venisset et pro familiaritate, quam meruerat in monasterio sancti viri diebus aliquot moraretur, eius informatur oraculis patriam suam grave repente excidium³⁾ subituram. Qui acceptis litteris ad S. Paulinum episcopum ordinatis⁴⁾, remeavit instantius. Igitur memoratus antistes litterarum tenore perstructus, universa dioecesis⁵⁾ suae castella scriptis propriis vehementer admonuit, ut triduo ieiunio, quod litterae viri Dei signaverant, exitio venturae cladis occurrerent. Quibus iussa complentibus, terminato ieiunio ecce Alamannorum copiosissima multitudo feraliter cuncta vastavit. Castella vero nullum sentire periculum, quae lorica fidelis ieiunii et laudanda cordis humilitas per virum propheticum⁶⁾ adversus hostium ferociam fidenter armaverat.

XXVI. Post haec leprosus quidam Mediolensis¹⁾ territorii ad S. Severinum, fama eius invitante, perrexerat: hunc sanitatis²⁾ remedia

1) *Maximinus B.*

2) *Cod. B. novam incipit sententiam hoc modo: . . . solitus erat. Et cum pro familiaritate etc.*

3) *excitium B.*

4) *designatis B.*

5) *universas dioeceses B.*

6) *haec tria verba per virum propheticum desunt in B.*

1) *Mediolanensis B.*

2) *sanitatum B.*

implorantem suppliciter, monachis suis indicto ieiunio commendavit, qui continuo Dei gratiam operante³⁾ mundatus est. Cumque recepta sanitate redire suaderetur ad patriam⁴⁾, prostravit se pedibus sancti viri, petens ne ulterius ad sua redire cogeretur, cupiens scilicet ut lepram quoque peccatorum, sicut carnis effugaret⁵⁾, vitamque in eodem loco sine laudabili terminaret. Cuius animum religiosum vir Dei vehementer admirans, paucis monachis paterna iussione praecepit, frequentatis cum eo ieiuniis in oratione continua permanere, ut Dominus eius quae essent opportuna concederet. Tantis itaque remediis praemunitus, intra duorum mensium spatium vitae mortalis est compedibus absolutus.

XXVII. Eodem tempore mansores oppidi Quintanensis, creberrimis Alamannorum incursionibus iam¹⁾ defessi, sedes proprias relinquentes, in Batavis oppidum migraverunt. Sed non latuit eosdem barbaros confugium praedictorum; qua causa plus inflammati sunt, credentes quod²⁾ duorum populos oppidorum uno impetu praedarentur. Sed B. Severinus orationi fortius incubans, Romanos exemplis salutaribus multipliciter hortabatur, praenuntians

3) operante om. B.

4) B. add. suam.

5) effugeret B.

1) iam om. B.

2) quod om. B.

hostes quidem praesentes³⁾ Dei auxilio superandos, sed post victoriam eos qui contemnerent eius monita perituros. Igitur Romani omnes sancti viri praedictione firmati, spe promissae victoriae adversus Alamannos instruxerunt aciem, non tam materialibus armis, quam sancti viri orationibus praemuniti. Qua congressione victis ac fugientibus Alamannis, vir Dei ita victores alloquitur: „Fili, ne vestris viribus palmam praesentis certaminis computetis⁴⁾, scientes idcirco, vos Dei praesidio⁵⁾ liberatos, ut hinc parvo intervallo temporis, quasi quibusdam concessis induciis⁶⁾, discedatis. Mecum itaque ad oppidum Lauriacum congregati descendite.“ Haec homo Dei plenus pietate comonuit. Sed Batavinis, genitale solum relinquere dubitantibus, sic adiecit: „Quamvis et illud oppidum, quo pergimus, ingruente barbarie sit quantocius relinquendum, hinc tamen nunc pariter discedamus.“ Talia commonentem secuti sunt plurimi, quidam vero⁷⁾ reperti sunt contumaces, nec defuit contemptoribus gladius inimici. Quicumque enim ibidem contra homines Dei interdicta⁸⁾ manserunt, Turingis irruentibus in eadem hebdomada⁹⁾ alii qui-

3) praesentis sc. Dei B.

4) imputetis B.

5) scientes vos Dei nunc praesidio legit B.

6) indutis scribit A.

7) reperti om. B.

8) interdictum B.

9) hebdomade B.

dem trucidati, alii in captivitatem deducti, poenas dedere contemptui¹⁰⁾.

XXVIII. Igitur post excidium oppidorum in superiorem partem¹⁾ Danubii, omnem populum in Lauriacum oppidum transmigrantem, qui B. Severini monitis paruerat²⁾, assiduis hortatibus³⁾ praestruerebat, ne in sua virtute confiderent, sed orationibus et ieiuniis atque eleemosynis insistentes, armis potius spiritualibus munirentur. Praeterea vir Dei quadam die cunctos pauperes in una basilica statuit congregari, oleum prout posebat ratio largiturus; quam speciem in illis locis difficillima⁴⁾ negotiatorum tantum deferebat evectio⁵⁾. Igitur tamquam benedictionis accipiendae gratiae maior egenorum turba confluit, pretiosum quippe idem liquoris⁶⁾ elementum⁷⁾ auxit turbam numerumque poscentium. Tunc vir⁸⁾ beatus oratione completa, signoque crucis expresso, solitum sibi scripturae sanctae sermonem cunctis audientibus exprimens ait: „Sit nomen Domini benedictum.“ Tunc coepit oleum propria manu ministris implere portantibus,

10) *contemptus* B.

1) *superiore parte* B.

2) *paruerant* B.

3) *hortationibus* B.

4) *difficillimam* B.

5) *advectio* B.

6) *ibidem huius liquoris* B.

7) *alimentum* B.

8) *vir om.* B.

imitatus servus fidelis Dominum suum, qui non ministrari venerat, sed potius ministrare, sequensque vestigia Salvatoris, gaudebat augere materiem⁹⁾, quam officio dexteræ sinistra nesciente fundebat. Completis quippe¹⁰⁾ vasculis pauperum, nihil minuebatur in manibus ministrantium. Tantum igitur Dei beneficium dum circumstantes tacite mirarentur, unus eorum cui nomen erat Pientissimus¹¹⁾ nimio stupore¹²⁾ perterritus exclamavit¹³⁾: „Domine mi, crescit hic cacabus olei et in modum fontis exundat. Sic liquor ille gratissimus, prodita virtute, subtractus est.“ Statim¹⁴⁾ Christi famulus exclamans ait: „Quid fecisti frater? Obstruxisti commoda plurimorum; ignoscat tibi Dominus Iesus Christus. Sic¹⁵⁾ aliquando mulier vidua debitis onerata Helisaei prophetae iussis instruitur, ex olei stilla quam habebat vasa replere quam plurima.“ Quod cum fecisset, et adhuc vasa a filiis deposceret, ubi audit numerum defecisse vasorum, mox stetit oleum.

XXIX. Per idem tempus Maximus Noricensis, cuius fecimus in superioribus¹⁾ mentio-

9) *materiem* regulariter scribit A. B. *materiam*.

10) pro *quippe* habet *igitur* B.

11) *Biennius* B.

12) *magno timore* B.

13) *dicens* add. B.

14) ante *statim* ponit *cui* B.

15) lit. *c* excidit in A.

1) *superius* B.

nem, fidei calore succensus, media hyeme, qua regionis illius itinera gelu torpente clauduntur, ad B. Severinum audaci temeritate, vel magis, ut postea claruit, intrepida devotione venire contendit, conductis plurimis comitibus, qui collo suo vestes captivis et pauperibus profuturas, quas Noricorum religiosa collatio congregaverat²⁾, baiularent; itaque profecti³⁾ ad summa Alpium cacumina pervenerunt, ubi per totam noctem nix tanta confluit, ut eos magnae arboris protectione vallatos, velut ingens fovea demersos includeret. Et cum de vita sua penitus desperarent, nullo scilicet subveniente remedio⁴⁾, vidit ductor comitum per soporem effigiem viri Dei⁵⁾ stantem ac dicentem sibi: „Nolite timere, pergite quo coepistis.“ Hac ergo⁶⁾ revelatione protinus animati, cum coepissent⁷⁾ fide magis quam gressibus proficisci, subito divino nutu ingentis formae ursus e latere veniens viam monstraturus apparuit, qui se tempore hyemis speluncis abdere⁸⁾ consuevit, mox⁹⁾ cupitum reserat iter; et per ducenta ferme¹⁰⁾ millia non ad sinistram devians non

2) *proftigaverat* A. forsitan eodem sensu verbum *proftigare* hic dictum quo *promovere*.

3) *profecti* B.

4) *nullo scilicet subveniente remedio* deest in B.

5) *in effigie virum Dei* B.

6) *pro ergo* habet *vero* B.

7) B. *interserit etiam*.

8) *abditare* B.

9) *ante mox* habet B. *et*.

10) *fere* B.

ad dexteram, viam demonstravit optabilem. Tanta enim eos interea pedine praecedebat, quanto recenti¹¹⁾ vestigio semitam praepararet. Itaque progrediens bestia per eremi vastitatem, viros qui egenis deferebant solatia non reliquit, sed usque ad habitacula hominum, qua potuit humanitate perduxit, et mox in unam partem officio divertit expleto: ostendens tanto ductus¹²⁾ officio, quid homines hominibus praestare debeant, quantumque caritatis impendere, cum desperantibus iter bestia saeva monstraverit. Igitur cum servo Dei nuntiarentur, qui venerant, ait: „Sit nomen Domini benedictum. Ingrediantur quibus viam qua venirent ursus aperuit.“ Quo audito illi stupore nimio mirabantur¹³⁾ virum Dei referre id, quod in absentia provenerat.

XXX. Cives item oppidi Lauriaci et superiorum transfugae castellorum, ad suspecta loca exploratoribus destinatis, hostes quantum poterant humana sollicitudine praecavebant. Quos servus Dei divinitatis instinctu communitus, praesaga mente perstruxit¹⁾, ut omnem paupertatis suae sufficientiam intra muros concluderent, quatenus inimicorum feralis excursio²⁾, nihil humanitatis inveniens, statim fame compulsa

11) *quanta regente* B.

12) *tanto ducatus* male B.

13) B. legit: *stupore repleti; mirabantur enim virum* etc.

1) *praestruxit* B.

2) *incursio* B.

immania crudelitatis coepta desereret. Haec per quadrubium³⁾ contestatus, advesperascente iam die, Valentem nomine, monachum mittens ad S. Constantinum eiusdem loci Pontificem, et ad caeteros commonentes⁴⁾: „Hac, inquit, nocte dispositis per muros ex more vigiliis districtius excubate, supervenientis hostis caventes insidias.“ At illi nihil adversi exploratores⁵⁾ sentire se penitus ignorabant⁶⁾. Sed Christi famulus⁷⁾ praemonere non desinens, dubitantibus voce magna clamabat, eadem nocte eos asserens capiendos, nisi imperiis fideliter obdissent, saepius repetens: „Me, inquit, me si mentitus fuero, lapidate⁸⁾.“ Itaque tandem aliquando muris invigilare compulsi, expleta consueti operis in noctis principio psalmodia, cum celeberrimo coepissent vigilare concursu, acervus foeni cominus positus, facula⁹⁾ baiuli nolentis accensus, lumen non incendium reddidit civitati. Qua occasione vociferantibus cunctis, hostes silvarum occultati nemoribus¹⁰⁾, subito splendore clamoreque perterriti, putantes se praecognitos, quieverunt, ac mane facto circumdantes civitatem et ubique discurrentes,

3) *triduum* B. *quadrudum* Belf.

4) *commonantes* B.

5) ante *exploratores* interserit per B.

6) *affirmabant* B.

7) *praeco* B.

8) *Me, inquit, lapidate, si mentitus fuero* B.

9) *ex facula* B.

10) *occultatione morantes* B.

cum nihil victualium reperissent, direpto animalium grege¹¹⁾ cuiusdam hominis, qui servo Dei praedicente contumax sua tutare contempserat¹²⁾, recesserunt. Illis autem abeuntibus, cives portas¹³⁾ egressi, haud procul a muris scalas iacentes inveniunt, quas ad urbis excidium praeparantes¹⁴⁾ barbari vigilantium clamore turbati in nocte iactaverant. Quapropter memorati cives veniam a Christi famulo precabantur humiliter, confitentes corda sua lapidibus esse duriora, qui rebus praesentibus agnoverunt in sancto viro gratiam viguisse prophetica; isset nempe tunc plebs inobediens universa captiva¹⁵⁾, nisi eam liberam viri Dei consueta servasset¹⁶⁾ oratio, Iacobo apostolo protestante: „multum, inquit, valet oratio¹⁷⁾ iusti assidua.“

XXXI. Felethaeus Rugorum rex, qui et Feva¹⁾, audiens cunctorum reliquias oppidorum, quae barbaricos²⁾ evaserunt gladios,

11) *diripuerunt animalium gregem* B.

12) *sua tutari contempserat, et etc.* B.

13) *portis* B.

14) *praeparatas* B.

15) *atque in uno impetuisset plebs inobediens universa captiva*, B. lectio A. multo praeferenda scripturae Cod. B.

16) *conservasset* B.

17) *deprecatio* B.

1) *Fava* B. ut supra.

2) *barbarico . . . se per Dei etc.* A. Fefellisse videtur scriba Cod. B. A. clarius habet: *quae barbaricos evaserunt gladios Lawriacum se per Dei etc.*

Lauriacum se per Dei famulum contulisse, assumpto veniebat exercitu, cogitans repente de tentos abducere, et in oppidis sibi tributariis atque vicinis (ex quibus unum erat Fabianis), quae a Rugis tantummodo dirimebantur Danubio, collocare. Quamobrem graviter universi turbati, S. Severinum adiere suppliciter, ut in occursum regis egrediens, eius animum mitigaret. Cui tota nocte festinans, in vicesimo ab urbe milliaro maturius³⁾ occurrit. Rex ergo adventum eius protinus expavescens, testabatur illius se fatigatione plurimum praegravatum, causas itaque repentinae occursionis⁴⁾ inquit. Cui servus Dei: „Pax tibi⁵⁾, rex optime. Christi legatus advenio, subditis misericordiam⁶⁾ precaturus. Recole gratiam, divina beneficia recordare, quibus pater tuus se frequenter sensit adiutum. Nam cunctis regni sui temporibus nihil me inconsulto gerere praesumebat.“ Qui monitis non resistens salutaribus, crebris prosperitatibus recognovit, quanti valeat obedientis animus, quantumque triumphatoribus prosit, suis non tumere victoriis. Et rex⁷⁾: „Hunc, inquit, populum, pro quo benevolus precator accedis, non patiar Alamannorum ac Thuringorum⁸⁾ saeva depraedatione

3) *matutinus* false B. forsàn errore typographi.

4) *causam repentinae cursionis* B.

5) *inquit* add. B.

6) *veniam pro misericordia* B.

7) *Et rex, inquit*, B.

8) *aut Thuringorum iniquorum* habet B.

vastari, vel gladio trucidari, aut in servitio⁹⁾ redigi, cum sint nobis vicina ac tributaria oppida¹⁰⁾, in quibus debeant ordinari.“ Cui servus Christi constanter ita respondit: „Numquid arcu tuo vel¹¹⁾ gladio homines isti a praedonum vastatione creberrima sunt erepti, et non potius Dei munere, ut tibi paullisper obsequi valeant, reservati? Nunc ergo, rex optime, consilium meum ne respuas, fidei meae hos committe subiectos, ne tanti exercitus compulsione vastentur potius quam migrentur. Confido enim in Domino meo, quod ipse qui me fecit horum calamitatibus interesse, in perducendis¹²⁾ eis idoneum faciet promissorum.“ His auditis rex modestis¹³⁾ allegationibus mitigatus, cum suo protinus¹⁴⁾ remeavit exercitu. Igitur Romani, quos in sua S. Severinus fide susceperat, discedentes de Lauriaco pacificis dispositionibus in oppidis ordinati¹⁵⁾, benevola cum Rugis societate vixerunt. Ipse vero Fabianis degens in antiquo suo monasterio, nec admo-

9) *servitium* B.

10) *cum sint nobis oppida et castella, in quibus* etc. B.

11) *et* B.

12) *ducendis* B.

13) in Cod. A. prima scriptura *modestis* erasa, in eiusque locum *molestis* substituta est; verumtamen ad oram glossa adiecta ad emendationem *molestis* spectans, una cum nota „*alias destis*“. Hinc equidem genuinam manum *modestis* restitui, praesertim cum et B. hanc lectionem tueatur.

14) *protinus* om. B.

15) *in oppidis ordinati* deest in B.

nere populos, nec praedicere futura cessabat, asserens universos in Romani¹⁶⁾ soli provinciam absque ullo libertatis migraturos incommodo.

XXXII. Iisdem temporibus Odoacer¹⁾ rex S. Severino familiares litteras dirigens, si qua speranda duceret, dabat suppliciter optionem, memor illius praesagii, quo eum expresserat quondam regnaturum. Tantis itaque Sanctus eius²⁾ alloquiis invitatus, Ambrosium quemdam exultantem rogat absolvi. Cuius Odoacer gratulabundus paruit imperatis. Quodam etiam tempore, dum memoratum regem multi nobiles coram sancto viro, humana³⁾ ut fieri solet adulatione laudarent, interrogat quem regem tantis praeconiis praetulissent? Respondentibus Odoacrum regem: „Odoacer⁴⁾, integer inter tredecim et quatuordecim annos,“ videlicet integritatem eius regni significans⁵⁾, et his dictis adiecit, citius illos, quod ipse praedixerat, probaturus⁶⁾.

16) *Roman A.* Scriba Cod. mihi videtur in autographo duas literas *ni* perperam intellexisse pro *na m.*

1) *Odobagar B. Odovacar* Pez.

2) *eius* om. B.

3) *humanae* A.

4) *inquat* interserit B.

5) *videlicet integros regnabit; finem vero regni eius significans* B. Hic aliquid deesse suspicatur Velserus. Pro *integer* habet Velserus *interim*.

6) *probaturos* B.

XXXIII. Ab oppidanis Comagensibus¹⁾, apud quos primum quondam innotuerat B. Severinus, suppliciter rogatus advenit. Cuius comperta praesentia, unus ex optimatibus Felthaei regis filium suum adolescentem diuturno languore vexatum, cui iam parabat exequias, transiecto Danubio pedibus eius proiecit, et lacrymans: „Credo, inquit, homo Dei, te filio meo velocem impetrare divinitus²⁾ sanitatem.“ Tunc data oratione, qui semivivus allatus fuerat, statim incolumis patre migrante³⁾ surrexit, et perfecta protinus revertitur sospitate⁴⁾.

XXXIV. Elefantiosus etiam¹⁾ quidam, Teio²⁾ nomine, de longinquis regionibus S. Severini invitatus virtutibus venit, rogans eius oratione³⁾ mundari. Accepto itaque ex more praecepto, iubetur Deum totius gratiae largitorem sine cessatione lacrymabiliter exorare. Quid plura? precibus beati viri idem leprosus divina opitulatione mundatus, dum commutat mores in melius, mutare meruit et colorem, Regis aeterni magnalia tam suis quam plurimorum vocibus longe lateque denuntians.

XXXV. Bonus¹⁾ quoque monachus B. Se-

1) *Comagenensibus* B.

2) *posse* add. B.

3) *mirante* aptius B. *incolumis* deest in B.

4) *sanitate* B.

1) *etiam* deest in B.

2) *Telo* B. *Thegio* Sur.

3) *orationibus* B.

1) *Bonosus* B. *Bonos* Sur.

verini, barbarus genere, qui responsis eius inhaerebat, oculorum imbecillitate plurimum praegravatus, medelam sibi praestare eius oratione poscebat, aegre ferens adventitios et externos salutaris gratiae sentire praesidia, sibi que nullam remedium opem aliquatenus exhiberi. Cui servus Dei inquit: „Expedit²⁾ fili corporis luminibus aciem habere perspicuam, et exterioris oculi clarum praeferre conspectum: ora magis ut obtutus vegetetur interior.“ Talibus igitur³⁾ monitis informatus, dedit operam corde magis videre quam corpore, meruitque absque ullo fastidio mirabiliter in orationis efficaci⁴⁾ iugitate continuus, et⁵⁾ quadraginta fere annis⁶⁾ in monasterii excubiis perseverans, eodem quo conversus est fidei calore transivit⁷⁾.

XXXVI. In loco Boiotro¹⁾ superius memorato, quosdam tres monachos sui monasterii doctor humilis superbiae foeditate respersos, dum pro suis singulos excessibus increpatos, durare in pernicie comprobasset, oravit ut eos Dominus in adoptionem recipiens filiorum paterno dignaretur flagello corripere. Prius ergo quam orationem effusis lacrymis terminaret,

2) Contrarium lectio Cod. B. indicat, habet etenim: *Non tibi, inquit, expedit.*

3) ergo B.

4) perfici B.

5) per interserit B.; et scribit annos.

6) annos B.

7) ad Dominum add. B.

1) Boitro B.

uno momento iidem monachi daemone corripiente vexati, contumaciam sui pectoris vocibus fatebantur²⁾. Absit ut cuiquam hoc crudele videatur aut noxium, quia traditi sunt huiusmodi homines³⁾ satanae in interitum carnis, sicut beatus docens⁴⁾ Apostolus, ut spiritus salvus sit in die Domini Iesu (I. Cor. 5, 5.)⁵⁾; cum B. Ambrosius Mediolanensis episcopus servum Stiliconis, auctoritate⁶⁾ falsarum epistolarum deprehensum, dixerit oportere tradi Satanae, ne talia postmodum⁷⁾ auderet admittere; quem eodem momento, cum adhuc sermo esset in ore sacerdotis, spiritus immundus arreptum coepit discerpere. Severus quoque Sulpitius refert ex relatione Posthumiani, virum quemdam magnis virtutibus signisque mirabilem, ad expellendam de corde suo iactantiae vanitatem quam incurerat, exorasse ut permissa in se mensibus quinque diaboli potestate, similis his fieret quos ipse craverat. Idemque⁸⁾ post pauca: itaque⁹⁾ correptus a daemone, tentus in vinculis, omnia quae energu-

2) abundantius B.: *contumaciam suam pectorisque fastum ac superbiam cordis miserabilibus vocibus fatebantur.*

3) homines excidit in B.

4) docet B.

5) in Domini nostri Iesu Christi B.

6) auctorem B.; conf.: argui re aliqua.

7) imposterum B.

8) Idem B.

9) idemque A. Error qui explicari forsitan potest ex praecedenti idemque.

meni ferre solent perpeſſus; quinto demum mense curatus est, non tantum daemone¹⁰⁾, sed quod illi erat utilius atque optatius¹¹⁾ vanitate. Praedictos itaque monachos vir Dei delegatos fratribus per dies quadraginta arduis abstinentiae remediis mancipavit. Quibus expletis, data super eos oratione, a potestate daemonis eruit, nec solum corporis sanitatem, sed et mentis impertiit¹²⁾. Quo facto et¹³⁾ sancto viro reverentiae terror accrevit, et caeteros maior disciplinae metus obtinuit.

XXXVII. Marcianum monachum, qui postea presbyter ante nos monasterio praefuit, ad Noricum cum Renato fratre direxerat. Et cum dies tertius laberetur, ait fratribus: „Orate carissimi, quia gravis hac hora Mauricianum tribulatio comprimit, et Renatum, de qua tamen¹⁾ Christi liberabuntur auxilio. Tunc monachi, quae ab eo dicta sunt protinus annotantes, illis post menses plurimos redeuntibus, diem horamque periculi, qua barbaros evaserant, indicantibus, sicut signaverant, approbarunt²⁾.

XXXVIII. Item beatissimus Severinus uni ex fratribus nomine Urso repente praecepit¹⁾,

10) B. scribit a daemone.

11) ab elationis interserit B.

12) impertit. B.

13) et excidit in B.

1) citius add. B.

2) approbaverunt B.

1) Severinus monacho, Urso nomine, repente praecepit etc. B.

quadraginta dierum districtiore ieiunio, venturae calamitati, abstinentia ciborum et lamentis occurrere dicens: Imminet tibi corporale periculum, quod Dei praesidio parvi panis et aquae remediis expiabis. Quadagesimo itaque die mortifera papula in brachio ieiunantis apparuit, quam mox ad ipsum ingressus suppliciter demonstravit. Cui sanctus Dei famulus: „Noli, inquit²⁾, metuere praenuntiatum tibi ante dies quadraginta discrimen“, statimque propria manu signo crucis obducto, mirantibus qui aderant papula lethalis evanuit. Hoc unum de domesticis sanitatibus narrare³⁾ sufficiat, prolixi operis fastidia⁴⁾ declinando. Nam saepius suorum aegritudines monachorum Christo sibi revelante praenuntians, iisdem quibus praevidebat muneribus et sanabat.

XXXIX. A discipulorum suorum quoque cellula spiritualis doctor non longius habitabat, in orationibus vel¹⁾ abstinentia iugiter perseverans, cum quibus tamen matutinas orationes, et propriam noctis principio psalmodiam solemniter adimplebat; reliqua vero orationum tempora in parvo complebat oratorio, quo manebat. In quibus saepe coelestibus firmatus²⁾ oraculis,

2) inquit excidit in B.

3) narrasse B.

4) fastidium B.

1) et B.

2) informabatur B. = Causa, altera lectio firmatus = consequens informationis.

multa futura per Dei gratiam praedicebat³⁾, multorum etiam occulta cognoscens, ut opus erat proferebat in medium, et singulis remedia, prout poscebat modus aegritudinis, providebat. Stratus eius unum erat in oratorii pavimento cilicium, omni tempore ipso quo vestiebatur amictu, etiam dum quiesceret, utebatur. Numquam ante solis occasum nisi certa solvit festivitate ieiunium. Quadragesimae vero temporibus una per hebdomadem refectione contentus, aequali vultus hilaritate fulgebat. Aliena quasi propria errata defens, quibus poterat praesidiis temperabat.

XL. Deinde post multos agones et diuturna certamina, cum se idem⁴⁾ beatus Severinus de hoc seculo transiturum Deo revelante sensisset, memoratum Rugorum regem Fevam cum uxore eius crudelissima, nomine Gisa, ad se venire commonuit. Quem cum salutaribus exhortatus esset affatibus, ita ut cum sibi subiectis ageret, ut²⁾ se iugiter cogitaret pro statu regni sui rationem Domino redditurum, aliisque verbis intrepide monuisset, porrecta³⁾ manu Regis pectus ostendens Reginam his⁴⁾ interrogationibus arguebat: „Hanc, inquit, animam, Gisa, an aurum argentumque plus diligis?“ Cumque illa maritum se diceret cunctis opibus anteferre,

- 3) *praedicabat* B.
 1) *idem* excidit in B.
 2) *quo* B.
 3) *protenta* B.
 4) *his* deest in B.

vir Dei sapienter adiecit⁵⁾: „Ergo, inquit, desine innocentes opprimere, ne illorum afflictio vestram magis dissipet potestatem; etenim⁶⁾ mansuetudinem regiam tu saepe convellis.“ At illa: „Cur, inquit, nos sic accipis, serve Dei?“ Cui ipse: „Contestor, ait, vos ego humillimus⁷⁾, iam profecturus ad Deum, ut ab iniquis actibus temperantes, piis insistatis operibus⁸⁾. Hucusque regnum vestrum auctore Deo prosperatum est; iam ex hoc⁹⁾ videritis.“ His monitis rex cum coniuge sufficienter instructi, valedicentes ei profecti sunt.

Tunc Sanctus non desinebat de suae migrationis vicinia suos alloqui dulcedine caritatis, quod quidem facere nec ante cessaverat. „Scitote, inquit, fratres, sicut filios Israel constat ereptos esse de terra Aegypti, ita cunctos populos¹⁰⁾ terrae huius oportet ab iniusta barbarorum dominatione liberari. Etenim omnes cum suis facultatibus de his oppidis emigrantes ad Romanam provinciam absque ulla sui captivitate perveniunt. Sed mementote praeepti S. Ioseph patriarchae, cuius ego vos indignus et infimus attestazione convenio: Visitatione visitavit vos Deus, et tolletis ossa mea hinc vobiscum, quod non mihi sed vobis est profu-

- 5) *adiecit* om. B.
 6) *etenim tu saepe* B.
 7) *humilis* B.
 8) *piis mores honestetis operibus* B. (paraphrasis).
 9) *vos interserit* B.
 10) *cunctum populum* B.

turum. Haec quippe loca nunc frequentata cultoribus in tam vastissimam solitudinem redigentur, ut hostes aestimantes auri se quippiam¹¹⁾ reperturos, etiam mortuorum sepulturas effodiant.“ Cuius vaticinii veritatem eventus rerum praesentium comprobavit. Levavi vero¹²⁾ suum corpusculum Pater sanctissimus, pietatis providus, argumento praecepit¹³⁾, ut dum generalis populi transmigratio provenisset, indivisa fratrum, quos adquisierat, congregatio proficiscens, obtentu memoriae eius in uno sanctae societatis vinculo permaneret.

XLI. Diem etiam quo transiturus esset idem B. Severinus e corpore ante duos seu¹⁾ amplius annos hac significatione monstravit. Epiphaniorum die, cum sanctus se Lucillus presbyter, Abbatis sui Valentini, Rhaetiarum quondam episcopi, diem depositionis annua solemnitate in crastinum celebraturum sollicitus intimasset, idem famulus Dei ita respondit: „Si B. Valentinus haec tibi celebranda solemnia delegavit, ego quoque tibi in eodem die vigiliarum mearum studia observanda, migraturus e corpore, derelinquo.“ Ille²⁾ his sermonibus tremefactus, cum se magis, utpote homo decrepitus enixius commendaret, quasi primitus transiturus, adie-

11) *copiam* B.

12) *ergo* B.

13) *Pater sanctissimae probitatis providis argumentis praecepit* B.

1) *et* B.

2) *In* B.

cit: „Hoc erit, sancte presbyter, quod audisti, nec³⁾ Domini constitutum humana voluntate praeteriet.“

XLII. Praeterea¹⁾ Ferderuchus²⁾ a fratre suo Rugorum rege Feva ex paucis quae super ripam Danubii remanserant³⁾ oppidis unum acceperat⁴⁾ Fabianis, iuxta quod S. Severinus, ut retuli, commonebat⁵⁾. Ad quem cum⁶⁾ idem Ferderuchus ex more salutaturus accederet, coepit ei miles Christi iter suum enixius indicare, sub contestatione haec proloquens: „Noveris me, inquit, quantocyus ad Dominum profecturum, et idcirco communitus praecaveto, ne me discedente aliquid horum, quae mihi commissa sunt, attaminare pertentes et substantiam pauperum captivorumque contingas, indignationem Dei, quod absit, tali temeritate sensationem.“ Sed Ferderuchus insperata commotione percussus: „Cur, inquit, hac contestatione confundimur, cum non optemus tanti orbari praesidiis, et sanctae largitioni tuae, quae omnibus nota est, conferre nos aliquid deceat⁷⁾, non auferre, quatenus solita, sicut et pater noster

3) *enim* interserit B.

1) *cum* interserit B.

2) Constanter sic scribit A.; Cod. B. habet *Fri-dericus*.

3) *permanserant* B.

4) *acciperet* B.

5) *commonebat* B. Litera *o* correcta in Cod. A.

6) *et ad eum* B.

7) *aliquid nos* transponit B. *deceat* correctum vel potius depravatum in *deceat* in Cod. A.

Flaccithaeus, tua merear oratione muniri, qui experimento didicit sanctitatis tuae meritis se fuisse semper adiutum? Et ille: „Qualibet, inquit, occasione meam cellulam volueris laedere, et hic statim probabis, et in futuro solves, quam non opto, vindictam.“ Tunc Ferderuchus promittens se Christi famuli monita servaturum, remeavit ad propria. Doctor vero dulcissimus non cessabat suos alloqui per momenta discipulos dicens: „Confido de gratia Domini⁸⁾ mei Iesu Christi, quia vobis in opere suo durantibus, et meae memoriae pacata societate coniunctis, aeternae vitae bona tribuet, nec solatia praesentium denegabit.“

XLIII. Nonis itaque Ianuariis coepit tenuiter lateris dolore pulsari, quo durante per triduum, medio noctis tempore fratres adesse praecepit, quos de corpore suo commonens, et paterna informatione corroborans, instanter ac mirabiliter talia prosecutus, aiebat; „Fili in Christo carissimi, scitis quod beatus Iacob de saeculo recessurus¹⁾ conditione mortis instante filios suos adesse praecipiens, propheticae benedictionis affatibus singulos quosque remunerans, mysteriorum arcana prodidit futurorum (Gen. 49). Nos vero infimi ac tepidi, tantaeque impares impietati, hanc praerogativam nostris usurpare viribus non audemus, unum tamen quod humilitati congruit non tacebo, mit-

8) *Christi mei Iesu. B. Domini om.*

1) *de saeculo recessurus* deest in B.

tens vos ad exempla maiorum, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Abraham namque vocatus a Domino, fide obedivit ut exiret in locum quem accepturus erat in possessionem, et exiit nesciens quo venturus esset. Huius igitur beati patriarchae imitamini fidem, imitamini sanctitatem, terrena despiciate, coelestem semper inquirete. Confido autem in Domino, quod mihi de vobis aeterna lucra provenient. Video enim vos gaudium meum fervore spiritus ampliaste, amare iustitiam, fraternae caritatis vincula diligere, castitati operam dare, humilitatis regulam custodire; haec quantum ad hominis spectat intuitum, laudo confidenter et approbo. Sed orate, ut quae humanis aspectibus digna sunt, aeternae discretionis examinatione²⁾ firmentur, quia non sicut videt homo videt Deus. Ille siquidem, sicut divinus sermo denuntiat, omnium³⁾ corda scrutatur, et omnes⁴⁾ mentium [cogitationes]⁵⁾ antevenit. Assiduis ergo precibus hoc sperate⁶⁾, ut oculos cordis vestri Deus illuminet, sicut optavit⁷⁾ B. Heliseus, aperiat, quo possitis agnoscere quanta nos circumstant adiumenta Sanctorum, quanta fidelibus auxilia praeparentur; Deus enim no-

2) *examine* B.

3) *omnia* B.

4) *omnium* B.

5) *cogitationes* habet B.

6) *orate* B.

7) *oravit* B.

ster simplicibus⁸⁾ appropinquat. Non desit militantibus Deo⁹⁾ iugis oratio; non pigeat agere poenitentiam, quem¹⁰⁾ non puduit facinus perpetrare; non dubitetis¹¹⁾ lugere peccantes, si quo modo offensa divinitas¹²⁾ vestrarum lacrymarum inundatione placetur; quia spiritum contritulum, suum est dignatus vocare sacrificium. Simus igitur corde humiles, mente tranquilli, delicta omnia praecaventis, ac divinatorum semper memores mandatorum, scientes non prodesse nobis humilitatem¹³⁾ vestis, nomen monachi, vocabulum religionis, speciem pietatis, si circa mandatorum observantiam degeneres invenimur¹⁴⁾ et reprobis. Mores igitur, filii mei¹⁵⁾ carissimi, proposito suscepto consentiant: grande nefas est peccata sectari etiam¹⁶⁾ hominem secularem, quanto magis monachos, qui blandimenta saeculi quasi atrocem bestiam fugientes, Christum cunctis affectibus praetulerunt; quorum incessus et habitus virtutis creditur esse documentum? Sed quid vos ultra demoror, filii mei carissimi, proposito suscepto longi sermonis affatu? Superest ut beati Apo-

8) *supplicibus* B.

9) *Deo* excidit in B.

10) *quos* B.

11) *pigeat* B.

12) *offensa divini iudicii lacrymarum, vestrarum inundatione placetur* B. (*offensa* substantive).

13) *cum humilitate* B.

14) *inveniamur* B.

15) *mei* excidit in B.

16) *etiam* om. B.

stoli ultima oratione vos prosequar¹⁷⁾, ita dicentis¹⁸⁾: „Et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiae eius, qui potens est conservare vos, et dare haereditatem in omnibus sanctificationibus¹⁹⁾; ipsi gloria in saecula saeculorum²⁰⁾.“

Post huiusmodi ordinis aedificationis alioquin cunctos per ordinem ad osculum suum iussit accedere, et sacramento communionis accepto fieri se penitus prohibet, totumque corpus signo crucis extenta manu consignans, ut psallerent imperavit. Quibus moeroris suffusione²¹⁾ cunctantibus, ipse psalmum protulit ad canendum: „Laudate Dominum in sanctis eius, omnis spiritus laudet Dominum.“ Sexto itaque iduum ianuariarum die²²⁾, in hoc versiculo, nobis vix²³⁾ respondentibus, quievit in Domino. Quo sepulto, credentes omnimodo seniores nostri, quae de transmigratioe praedixerat, sicut et multa alia²⁴⁾ praeterire non posse, locellum ligneum paraverunt, ut cum praenuntiata populi transmigratio provenisset, praedictoris imperata complerent.

XLIV. Ferderuchus vero B. Severini morte comperta, pauper et impius, barbara cupiditate

17) *persequar* B.

18) correctura Cod. A. exhibet *dicens*.

19) *in sanctificationibus* B.

20) B. add. *Amen*.

21) *effusione* B.

22) *sexto itaque Ianu. Idibus* B.

23) *prae fletu* add. B.

24) *inflecta* interserit B.

semper immanior, vestes pauperibus deputatas, et alia nonnulla credidit auferenda. Cui sceleris sacrilegium copulans, calicem argenteum, ceteraque altaris ministeria praecepit auferri¹⁾. Quae cum imposita essent sacris altaribus, nec auderet directus villicus ad tale facinus suas manus extendere, quemdam militem, Avinianum²⁾ nomine, compulit diripere memorata. Qui quamvis invitus praecepta perficiens, mox tamen incessabiliter vexatus omnium tumore membrorum³⁾, daemone quoque corripitur. Is ergo velociter consilio meliore correxit errata. Suscepto namque professionis sanctae proposito, in insulae solitudine armis coelestibus mancipatus, militiae commutavit officium. Ferderuchus autem immemor contestationis et praesagii sancti viri, ab rasis omnibus monasterii rebus, parietes tantum, quos Danubio non potuit transferre, dimisit. Sed mox in eum ultio denuntiata pervenit; nam intra mensis spatium a Frederico⁴⁾ fratris filio interfectus, praedam pariter amisit et vitam. Quapropter rex Odoacer⁵⁾ Rugis intulit bellum, quibus etiam devictis et Frederico fugato, patre quoque Feva

1) *auferrenda* B.

2) *Avicianum* B.

3) *omnium membrorum tremore*. In Cod. A. correctura *tumore* a secunda manu.

4) *Friderico* B. Exceptio fit regulae cuius supra XLII. not. 2 mentionem feci.

5) *Otachar* B.

capto⁶⁾, atque ad Italiam cum noxia coniuge⁷⁾ transmigrato⁸⁾.

Post audiens idem Odoacer Fredericum ad propria revertisse, statim fratrem suum misit cum multis exercitibus Onoulfum⁹⁾, ante quem denuo fugiens Fredericus ad Theodoricum regem, qui tunc apud Novas¹⁰⁾, civitatem provinciae Moesiae, morabatur, profectus est. Onoulfus vero praecepto fratris admonitus, universos iussit ad Italiam migrare Romanos. Tunc omnes incolae tamquam de domo servitutis Aegyptiae, ita de quotidiana barbarie frequentissimae depredationis educti, S. Severini oracula cognoverunt. Cuius praecepti non immemor venerabilis noster presbyter tunc¹¹⁾ Lucillus, dum universi per comitem Pierium compellerentur exire, praemissa cum monachis vesperae psalmodia, sepulturae locum imperat aperiri. Quo patefacto, tantae suavitatis fragrantia omnes nos¹²⁾ circumstantes accepit, ut prae nimio gaudio atque admiratione¹³⁾ prosterneremur in terra¹⁴⁾. Deinde unanimiter¹⁵⁾ aestimantes ossa funeris

6) *eum perperam interserit* B.

7) B. add. *supra memorata, videlicet Gisa*.

8) *transmigravit* B.

9) *Onoulfum* B.

10) *Novam* B.

11) *tunc* om. B.

12) pronomen *nos* Cod. B. voci *tantae* subiectum est.

13) *admiratione* B.

14) *terram* B.

15) *humaniter* B.

invenire disiuncta [nam annus sextus depositio-
nis eius effluerat], integram corporis compa-
gem reperimus. Ob quod miraculum¹⁶⁾ immen-
sas gratias retulimus omnium conditori, qui ca-
daver Sancti, in quo nulla aromata fuerant,
nulla manus accesserat condientis, cum barba
pariter et capillis usque ad illud tempus per-
mansisset illaesum. Linteaminibus igitur im-
mutatis in loculo multo ante iam tempore¹⁷⁾
praeparato funus includitur, carpento¹⁸⁾ tra-
hentibus equis impositum¹⁹⁾, mox evehitur,
cunctis nobiscum provincialibus idem iter agen-
tibus, qui oppidis super rivam Danubii dere-
lictis²⁰⁾, per diversas Italiae regiones varias
suae peregrinationis²¹⁾ sortiti sunt sedes. San-
cti itaque corpusculum ad castellum nomine
Montem Feletem multis emensis regionibus ap-
portatum est.

XLV. Per idem tempus multis variis occu-
pati languoribus, et nonnulli a spiritibus im-
mundis oppressi, medelam divinae gratiae sine
ulla mora senserunt. Tunc et mutus quidam
ad id castellum suorum miseratione perductus
est, qui dum in oratorio¹⁾, quo sancti viri cor-
pusculum super carrum positum adhuc perma-

16) Quo miraculo B.

17) iam tempore ante B.

18) carpentum B.

19) impositum excidit in B.

20) relictis B.

21) permigrationis B.

1) oratorium B.

nebat, alacer pervenisset, ac sub eo clauso oris
sui ostio in cordis cubiculo supplicaret, illico
lingua eius in oratione²⁾ resoluta, laudem dixit
Altissimo. Cumque reversus ad hospitium, quo
suscipi consueverat, interrogatus³⁾ fuisset ex
more, nutu signove pulsatus, et orasse⁴⁾ et lau-
dem se Deo obtulisse clara voce respondit. Quo
loquente pavefacti qui eum noverant, ad ora-
torium cum clamore currentes, sancto Lucillo
presbytero, simulque nobis qui cum illo era-
mus, ignorantibus quod⁵⁾ evenerat, indicarunt.
Tunc omnes exultantes in gaudio, divinae ele-
mentiae gratiarum retulimus actionem⁶⁾.

XLVI. Igitur illustris foemina Barbaria B.
Severinum, quem fama vel litteris cum suo
quondam iugali optime noverat, devotiosa¹⁾
venerata est. Quae²⁾ post obitum eius audiens
corpusculum Sancti in Italia³⁾ multo honore⁴⁾
perductum, et usque ad illud tempus terrae
nullatenus commendatum, venerabilem presby-
terum nostrum Marcianum, sed et cunctam con-
gregationem litteris frequentibus invitavit. Tunc
S. Gelasii Sedis Rom. Pontif. auctoritate, et

2) orationem B.

3) interrogantis mendose A.

4) post orasse habet se B.

5) quid B.

6) actiones B.

1) religiosa devotione B.

2) post quae interserit cum B.

3) Italiam B.

4) labore B.

Neapolitano⁵⁾ populo exsequiis revertentibus⁶⁾ occurrente, in castello Lucullano per manus S. Victoris episcopi, in⁷⁾ mausoleo, quod praedita foemina condidit⁸⁾, collocatum est.

Qua celebritate multi languoribus diversis afflicti, quos recensere longum est, receperunt protinus sanitatem. Inter quos quaedam venerabilis ancilla Dei, Processa nomine, civis Neapolitana, cum gravissimum aegritudinis patere tur incommodum, sancti funeris provocata virtutibus, itinere⁹⁾ properanter occurrit, et ingressa sub vehiculo¹⁰⁾, quo corpus venerabile portabatur, statim caruit omnium languore membrorum.

Tunc et Leodicus quidam coecus, inopinato¹¹⁾ psallentis populi clamore percussus, sollicito suos quid esset interrogat. Respondentibus quod cuiusdam S. Severini corpus transiret, compunctus ad fenestram¹²⁾ se duci rogat. Cumque fenestrae nixus¹³⁾ incumberet

5) Neapolitanae A.

6) reverendis B. Exequiis revertentibus = anniversariis.

7) in om. B.

8) ex parte interserit B.

9) in itinere B.

10) vehiculum B.

11) inopinata A.: peccavit contra regulas Grammatices.

12) domus, in qua manebat, se duci rogat, de qua poterat a sanis minus multitudo psallentium atque vehiculum sancti corporis contemplari; add. B.

13) enixus B.

et oraret, protinus vidit¹⁴⁾ singillatim demonstrans omnes notos atque vicinos. Quo factocuncti, qui audierant, gratias Deo lacrymantibus gaudiis retulerunt.

Marinus quoque primicerius cantorum¹⁵⁾ sanctae ecclesiae Neapolitanae, cum sanitatem post immanissimum languorem¹⁶⁾ recipere proinaccessabili capitis dolore non posset, caput vehiculo credens apposuit, et mox a dolore liberum sublevavit, memorque¹⁷⁾ beneficii, semper in die depositionis eius occurrens, voti¹⁸⁾ sacrificium Deo cum gratiarum actione reddebat. Verum multis plura scientibus sufficiat tria de innumeris¹⁹⁾, quae in ingressu eius gesta sunt, beneficiorum virtutumque retulisse miracula. Monasterium igitur in²⁰⁾ eodem loco constructum, ad memoriam beati viri, hactenus perseverat; cuius meritis multi obsessi a daemonibus²¹⁾ receperunt ac recipiunt, operante Dei gratia, sanitatem; cui est honor et gloria in²²⁾ saecula saeculorum. Amen.

14) prospicit B.

15) cantorum om. B.

16) cum sanitatem post immanissimum capitis dolorem recipere non posset, caput etc. B.

17) illius add. B.

18) devotum B.

19) sufficiant ista de innumeris B. •

20) in om. B.

21) curati sunt, et diversis obstructi languoribus receperunt etc. add. B. (paraphrasis).

22) per infinita B.